BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 I
29

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

BALDVINI RONSSEI

GANDENSIS, MEDICI
Reip. Goudanæ,

MISCELLANEA

ſeu
Epiſtolæ Medicinales.

Citò, tutò, & iocundè.



LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
cIↄ. Iↄ. XC.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BALDVINI RONSSEI

GANDENSIS, MEDICI
Reip. Goudanæ,

MISCELLANEA

ſeu

Epiſtolæ Medicinales.

Citò, tutò, & iocundè.

LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciſcum Raphelengium.
CIↃ. IↃ. XC.

CLARISSIMO

EXCELLENTISSIMOQVE MEDICINÆ PROFESSORI D. IOANNI HEVRNIO.

SI quod res eſt ingenuè fateat, mi Heurni, non poſſum negare, quin, vt eſt cæcus amor ſui, poſteaquam epiſtolas has noſtras in vnum corpus tanquã miſcellanea quædam compilaſſem, decreuerim aliquando in lucem emittere, & velut in muſtaceo laureolam quærere; verùm quum ad tempus aliquod apud me preſſiſſem, aliud omnino iam animo inſederat meo. Siquidem quando ſingula diligentiùs nonnihil relego, atque mecum excutio, comperi multa talia eſſe quæ quum ludicra prorſus & puerilia ſint, doctiorum aures ferre non poſſent, atque rurſum nonnulla quæ alium longè virum requirere videantur, vt qui ſingula exactiùs nonnihil, & clariùs explicet, atque verborum lenociniis lucem aliquam orationi addat, lectorumque aures demulceat: præſertim quando à Galeni, & claſſicorum aucto-

rum placitis aliena ſint, & omnino paradoxa. Lubens etenim ingenioli mei tenuitatem agnoſco; vt qui nec aſſueuerim, neque didicerim amaros nimium interdum noſtros ſermones dulcioribus lymphis diluere. Quare ne aliis calumniæ anſam aliquam præberé, illas ſupprimere iam omnino ſtabat ſententia, filioloquè meo (vt aliquid poſt patrios cineres haberet, quo ſe tandem oblectare poſſet) cum aliis nonnullis eiuſdẽ argumenti relinquere: quum tu, vt videris meas eſſe aliquid putare nugas, vrgere ne aliis noſtros inuideam labores, & ad editionem ſtimulos addere non deſinis: quibus id tandem effeciſti, vt tibi poteſtate tradita eaſdem diuulgandi, aut ſupprimendi, cenſueris illas tradendas doctiſſimo viro Franciſco Raphelengio vt typis ſuis excuderet. Quare, quum vel ipſo Ariſtotele teſte falſa interdum veris probabiliora videantur, idque potiſſimùm ſi falſæ rei grauis aliquis auctor exiſtat, conſultum omnino, ne dicam neceſſarium exiſtimaui, aliquem quærere ſub cuius nominis patrocinio tutiùs in publicũ prodirent: fere enim fit, vt ſcribit Diuus Hieronymus ad Præſidium Diaconum, vt qui ſcribit, multos ſumat iu-

mat iudices,ita alius in alterius liuet & graſſatur ingenium; ille enim ſi vel vna periodi clauſula vel membrum defuerit, mancam eſſe oratiunculam dictitabit: alius ſi eloquentiæ cothurnum paulum extuleris,non medicum, ſed rhetorem eſſe clamabit. Et quum cogito quem potiſſimùm deligam, tu prima occurris fronte, vt cui iure quodam id debeatur. Siquidem quum te auctore è latebris quibus iam addictæ erant exilierint, atq. in lucem prodierint, meritò ἀπόλεμος πολέμιος cenſendus ſim, ſi ſub alterius quàm tui nominis vmbone prodire ſinam. Excipe igitur, mi Heurni, beneuola fronte hoc qualecunque eſt, ac quod in te eſt, à maleuolorum morſibus tuere. Vale, & Ronſſeum vt tui ſtudioſiſſimum habe. Gouda. Non. Septemb. 1590.

AD CLARISSIMVM GOVDANÆ CIVITATIS MEDICVM BALDVINVM RONSSEVM GANDENSEM
Theodorus Cornelius Bergius.

SVMMO poli candentis homines arbitro
Proprium ferunt nomen feciſſe, Iuppiter,
Proſit quòd omnibus, noceat at nemini:
Tu cùm dies, noctesq́ id agas perpetim,
Vitam tueri vt omnium, reſtituere
Phœbæa & arte ſanitatem languidis
Queas, ſuum omnes iure te vocent Iouem.
Vrgere ſed negocium hoc perge, & canum
Imbellium morſus pili non æſtimes:
Tuos labores optimus nam Iuppiter
Tuebitur, celſo receptum & æthere
Lauro tua virenti implicabit tempora,
Stygia in palude quum gemiſcent inuidi.

AD EVNDEM Ioannis Riccij I. V. Doct. & Cancellarij Brunſuicenſis Hendecaſyllabum.

DOCTIS cognite, Balduine libris,
Quos Phœbus medicæ repertor artis
Dictauit, facili tibi & Minerua
Plures ingenij tui elegantes
Pridem orbi cupido videre partus,
Hunc donas lepidum, nouum libellum:
Quem quicunque leget, legetq́ totum,
Hortum ſe Alcinoi videre credet,
Hortum floribus omnibus nitentem.

IN EPISTOLAS MEDICINALES BALDVINI RONSSEI GOVDANORVM ARCHIATRI, M. GVALTERI VERDOESII MEDICI CARMEN.

SOL medicorum, & cor, medicis qui ex omnibus vnus,
Pæoniis princeps diceris ordinibus,
Cui ſic ipſe ſuas infudit Cynthius artes,
Phœbo vt ſurripias ingenium, & genium;
Quas Ronſſee tibi non vno nomine grates,
Reddet & Eous, reddet & Heſperius,
Dum medicam illuſtrans tam pulchris fœtibus artem
E raro promis munera tanta penu?
Nec ſatis eſſe ratus morbos depellere, prædam
E ſtygio toties ſurripuiſſe ſeni;
Ni tua mens meritis generoſior omnibus, alto
Verſaret ſemper pectore maius opus.
Scilicet vt totum ſcriptis diffuſus in orbem
Ingenij ſpargas ditia dona tui.
Perge ſacros reſerare aditus, perge arduus, iſtud
Te fundet toto ſcilicet orbe iubar.
Nec metuas, fruſtra torquet ſua ſpicula liuor.
Inuidia ipſa nihil quod reprehendat habet.
Maior eris quouis rabioſæ murmure linguæ,
Et pro te Phœbus ſtabit & ipſa Charis.

Aſſer-

Aſſertrixque ſui, veri Diua optima, iuris
Suggeret inuictum pectus,& arma tibi.
Atque vtinam dias C E L S V S mox luminis auras
Auſpicio cernat Ronſſee docte tuo.
Ille quidem preſſus tineis,& nocte profunda
Ex imis geſtit ferre caput tenebris.
Et nitidus, terſuſque, omni & breuitate ſolutus
Ore cupit nobis liberiore loqui.
Auguror,& properè dias prodibit in oras,
Atque tibi acceptum conferet omne decus.

MISCELLANEA ſiue *Epiſtolæ Medicinales.*

DE FOETV MORTVO SENSIM PER *fruſtula excidente,* Ad celeberrimum Medicinæ Profeſſorem Carolum Goſwinum.

EPISTOLA PRIMA.

MIRVM *admodum eſt, mi Goſwine, in nonnullis caſibus protinus deſponderi animum, quum tamen maxima ſalutis affulgeat ſpes; in aliis contrà, vbi maximum imminet vitæ periculum, impauidos ac conſtantes eſſe. Videmus etenim, mulierculas, etiam in fœliciſſimis alioqui partubus, ſtatim conſternari, ſi extemplò nō ſubſequatur pellicula, quam quòd velut fœtus ſecūdum ſit domicilium, Paulus ex Ægina medicus,* δευτέριον*, Plinius ſecundas nominat; ac proclamare, iam actum eſſe, niſi dextera manuum actione, aut alio quouis modo educatur: quum tamen vſus, & quotidiana experientia contrarium doceat; per ſe ſiquidem intra paucos dies putrefacta excidere ſolet, & in ſaniem diſſolui. Præterea legimus, nonnullas matrice ex morbo deſtitutas ad annos aliquot vitam incolumem traduxiſſe. Antonius etenim Beniuennius memorat quandam annos ſuperuixiſſe decem, cui ex maligno vlcere vulua tota corrupta, per comminuta fruſtula decidiſſet. Et nos mulierē nouimus quæ totum annum fœtū mortuum vtero geſtaret citra vitæ diſcri-*

 men.

men. Id autem quoniam rarũ eſt, & ſupra communem hominum fidem, tibi ſignificandum cenſui. Erat hîc mulier Maria nomine, filia Gulielmi de Vrie, annos natæ plus minus quadraginta duos, cui quum ſoliti hactenus fluere menſes interciperentur prorſus, neque ſpes vlla, propter ætatem, reſiduæ fecunditatis eſſet (deſierat enim iamdudum parere;) ſenſit tamen ventrem ſuſtolli, atque impragnationem (vt erat) ſuſpicata, parturitionis momenta expendebat. Embryo interim imbecillior (vt verbis vtar Hippocratis) iam non calcitrabat, ſed vix mouebatur, ita vt miſera, quæ iam aliquando felicem ſperabat parturiginem, de conceptu addubitare inciperet, ac neſcio aliud quid enorme in vtero eſſe, animo conciperet. Interim dum illa inter ſpem & metum animi anceps hæret, imminet parturiginis tempus, & labores ingraueſcẽtes parturitionẽ præſagiunt: ferens illa omnia, vt ferebat occaſio, animo præſenti, iubet ex tempore acciri obſtetricem, atq; vt quàm ocyſſimè aduolet, in mandatis dat; ac ne fortè in pauimentum procidat fœtus, vterũ vt poteſt leuiſſimè comprimit. Superueniens tandem obſtetrix, ſingula ordine perquirit, locos attractat, vteri os omnino clauſum comperit, parturientem bono eſſe animo iubet; non eſſe veram hanc parturitionem; cæterùm aliud quid, quod dolores parturigini non abſimiles procreet. Confirmat igitur ſeſe miſera, quiduis etiam perpeti parata. Verùm quum nihil prorſus promoueretur, accerſor tandem & ego, vnà cum D. Balthazaro Blyenpyrgio medico Traiectino, qui tunc temporis caſu Goudæ erat. Ibi ſingula attẽtè diſcutimus; tum obſtetricem, quid actum, & quo nunc ſit loco negocium, inquirimus; deinde vtrùm certa aliqua ſigna habeat, molâne ſit quod vrget, an in vtero emortuus fœtus. Illa nihil

minùs

minùs quàm fœtum in vtero eſſe aſſerit; ſed nec veram parturigmem, quum nec madeant loci, nec fœtida colluuies (ſicuti in mortuis partubus accidere ſolet) effluat: ſibi tum propter pigritiam motus, tum ob alias cauſſas, contentam potiùs in vtero molam videri. Nos igitur *his intellectis, quoniã nec parturiens motum aliquem perſentiſceret embryonis, nec aliud ſignum eſſet viuidi fœtus; in rem patientis eſſe iudicabamus, reſtauratis viribus partum promouere, atq. quæ fœtum mortuũ eiiciunt, propinare, cauentes interim à valentioribus: quòd perſpectum nobis eſſet, quæ mortuum partum educunt, eadem etiã molas propellere. sed fruſtra omnia; nihil enim promouimus: id tantùm effecimus, vt miſera ſolitò paulò robuſtior, ferendis doloribus aliquo modo par eſſet, neque ampliùs medici opera opus eſſe ſuſpicaretur.* Præſcripta *igitur ratione victus conueniente, manumittor.* Sed *ecce reuoluto iam anno, illa vnà cum lotio, primùm digitorum articulos excreuit; ac ſenſim alia maiora oſſa, tibiam, radium, coſtas; & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſit: tandemq́; ſecundo à parturitione anno, maximos antè perpeſſa labores, caluariam totam cum cubito, coſtis, & aliis aliquot oſſibus, eiecit; quum interim illa totum illud biennium ſanioſo profluuio conſumeretur, & putidiſſimis vaporibus diſcruciaretur, adeò vt & præſentes, ſi diutiùs adeſſent, odor offenderet.* Liberata *tamen à cadauere, conualuit, atque ab omni accidente libera euaſit.* Veriſimile *tamen eſt, matricem ſanioſo illo & putri humore attritam & conſumptam fuiſſe, præſertim quando per poſticum etiam oſſa reiecta ſint.* Fuit *præter hanc alia in hac ciuitate, quæ quum totum annum fœtum in vtero geſtaſſet, conſumpta tandem carne, oſſeam illam compagem excreuerit.* Ioannes

 præterea

præterea Langius in ſuis Miſcellaneis duos planè ſimiles caſus poſt Albucaſin annotauit. Deſinat igitur pauidum mulierculaꝛum genus, ſecundis non ſtatim ſubſequentibus, expaueſcere: nam etſi eius putreſcentis graui odore contingat ſtomachum ſubuerti, caput offendi, ac vires lædi; facile eſt iis accidentibus ſuccurrere per odoramenta ex thure, ladano, gagate lapide, ruta atque his ſimilibus: idq́; eo facilius erit, quòd intra paucos dies in ſaniem reſoluta excidere ſoleant ſecundæ.

DE PARACENTESI AD *D. Petreium Tyara.* EPIST. II.

SACRIFICVS quidam, *homo ad literas, atque adeò ipſas natus Muſas, niſi ſpumantes vino pateras Muſis habuiſſet potiores, inter pocula rogatus quónam loco literæ earumq́; cultores haberentur, ſcitè admodum, atque ex tempore huiuſmodi diſticho reſpondit:*

Si rogitas quid ſint Muſæ, quæ fama Magiſtris;
Sunt Muſæ mulæ, noſtraque fama fames.

Facetum, mehercule, & ſobriū magis reſponſum, quàm quod inter ingentes & ſinuoſos poculorum vortices expectari debebat. Nam ſi quis doctorum conditionem penitiùs animaduertat, neceſſum eſt fateatur, aut Muſas quas colimus, eſſe ſeueriores; aut doctos ſuis defraudari honoribus. Siquidem, vt reliquos omittam, tu quidem, meo iudicio, vir inter doctos doctiſſimus, inter philoſophos φιλοσοφώτατ@, hactenus rem medicam præter opinionem ad coniecturam vocare, & ad ſomniatoris agyrtæ triobolare precium ex lotio quiduis ariolari coactus es, ni malles logiatris medicis, omnes paßim reſpublicas oberrantibus, qui ex lotio quiduis pollicentur, omnem quæſtum concedere; quum tua te doctrina, aut ad Principum

cipum aulas, aut gymnaſiorum lectiones publicas iamdudum promouiſſe debuerat: quod tandem inuictiſſimi, ſereniſſimiq; Regis noſtri auſpiciis, atque, vti ſuſpicio eſt, vigilantiſſimi Præſidis Domini Viglij inſtinctu factum, iam primùm intelleximus; quando te in noua Duacenſium Academia ordinarium Lectorem ſumma cum laude Græcas docentem literas, atque adeò intima philoſophiæ arcana enodantem atq; explanantē, maxima tum voluptate & fructu doctiſſimi quiq; audiant, atque admirentur: quod vt perpetuū fauſtumq. ſit, faxit Optimus Maximus, & vt bonis auſpiciis inſtituta Academia, longè felicioribus incrementa accipiat, ac ſenſim adoleſcens, quaſi in abſolutum corpus nulla ſui parte mutilum transformetur, optamus; atque vt te philoſophantem, iam aliquid philoſophia maius (ſi fas eſt dicere) meditantem, atque Hippocratis, aut Galeni noſtri theoremata eruentem intelligamus. quod ſi fiat, ſpero te qua es doctrina, profeſſores reliquos non æquaturum modò, ſed multis etiam paraſangis ſuperaturum; atque id effecturum, vt vel tuo ſolius nomine longè celeberrimum toto terrarum orbe decantetur Duacenſe gymnaſium. Sed quò me præter inſtitutum rapit calamus? neque enim te in os laudare decreuimus, aut panegyricum tuis virtutibus dignum ſcribere noſtri erat inſtituti, ſed nouum quid quod hoc anno nobis in arte noſtra videre contigit, tibi ſignificare geſtiebat animus. Id autem tale eſt, quo docemur medicos curationis ſcopos à natura nonnunquam tanquam per manus accepiſſe, interdum etiam à brutis animātibus. Nam ſi Plinio habenda fides eſt, Hippopotamus in quadam medendi parte magiſter exſtitit, phlebotomiæ vſum oſtendens; ibis, auis Ægyptia, clyſterum vſum docuit; vomitionē canibus nonnulli acceptam

tulerunt: eam autem quæ per paracenteſin fit, euacuationem ſoli naturæ tribuendā hoc meo exemplo demonſtrabo. Erat igitur hic homo quinquagenario maior, qui quum ab incunabulis vſque ἐξομφάλῳ laboraſſet aut victus incuria, aut intemperantiâ, aut alio quouis modo, tandem incidit in aſciten, quæ iamdudum corpus afflixerat: & quum miſer (vt erat re nec ſordida prorſus, nec lauta) mallet inter ærumnas, ac cruciatus conſeneſcere, quàm periti medici opera vti, factum eſt, vt, morbo iuſta incrementa faciente, & magis ac magis intumeſcente vtero, moleq́; ſua graui, nocte intempeſta nihil tale opinanti, pellicula circa procidu ū illum vmbilicū, quo à teneris, vt iam antè diximus, laborauerat, diſrumperetur, atq. ilico aquei humoris copia efflueret; quæ, ne quid ſupra veritatē dicā, excedebat quatuor vulgatas illas Amſtelredamenſibus ſitulas, quarum ſingulæ non multo minus congij mēſura recipiūt. Aduocor igitur ſummo diluculo, rem circumſpicio, ſingula perquiro, video adhuc ſatis conſtare vires; iubeo igitur præparari quod viribus conſeruandis conueniat; inſtituo victus rationem congruam; atque in mandatis do, vt tantum humoris effluere ſinant, quantum vires ferre poſſint: effluxit autem, quantum coniicere licuit, vltra ſeſquicongium. Quando igitur ad quatuordecim, aut eo amplius dies, ex præſcripto noſtro faciunt (iam enim manu me miſerant) ſuccedunt omnia ex voto: tandem nunciat mihi chirurgus, qui ad curandam continui ſolutionē frequens illi aderat, humorem qui iam diſtillaret, eſſe loturæ carnium ſimilem, ac neſcio quid ſanguinis commixtum habere. Ibi ego veritus ne omni ſanguificationis ſpe deſtitutus homo ex Scylla in Charybdim delaberetur, atque ex vno malo plura incurreret, iuſſi, omnibus modis fluxum

cohibere, præparatis ad hoc quæ emplaſtica vi prædita eſſent, & quæ loco, quoad fieri poſſet, cicatricem obducerent: nam alioqui, quantum ego quidem coniicere potui, periculũ erat, ne aut viribus prorſus deſtitueretur æger, aut in atrophiam incideret. Re ex præſcripto peracta, omnia ex ſententia ceſſerunt: nam & ſeipſo vegetior, & coloratior, & fortior indies reddebatur homo, & concoquebat meliùs, & appetebat, & venter (vti par erat) detumuerat. Ille interim ad priſtinam victus rationem, tanquam canis ad vomitum, reuerſus, mirũ dictu quàm ſubitò in eadem, & multo grauiora mala inciderit. nam & perpetuis cruciatibus diſtorquebatur, & ex ventris tumore adeò diſtendebatur corpus, vt breui vitam morte commutaret; vel hoc ipſo teſtificante natura, viam curationis natura duce frequenter demonſtrari, ni nobis ipſi eandem præcludamus; atque inſueta nonnunquam ratione humores expurgari: Sic contingit interdum interceptis menſibus, hæmorrhoides fluentes purgationem ſupplere. Et, quod admiratione dignum eſt, annis ab hinc 1549.
quindecim noui Furnis, municipio Flandriæ occiduæ, mulierem obſtetricem, cui quum caſu aut fortuito dens molaris eliſus eſſet, repente ceu impete quodam gurges ſanguinis proflueret: qui etſi nulla ratione reſtingui poterat, ſponte tamen & cohibebatur, & per tẽporis interualla repetebat: & quum ab eo tempore quo euulſus eſſet dens, fluere deſtitiſſent menſes, eorundem proportioni reſpondebat. Adeò vt mirum non ſit, vel natura duce curationem eam quæ per paracenteſin obitur, à perito medico, maximo cũ emolumento præſtari poſſe: quod etiam fortuitis iiſq; diuerſis caſibus demonſtrari poßit. Antonius etenim Beniuennius hiſtoriam de muliere hydropica narrat, quæ quum ſalutis nulla ipſi ſupereſſet ſpes, de

eminenti quodam loco ad terram deuoluebatur; & vtero ad lapidem eliſo, diſiectoq́; ita prorſus omnis effundebatur humor, vt quam puerum octimeſtrem geſtare aſſeruiſſes, enixam iam diceres: quam non longo pòſt temporis interuallo idem Beniuennius, ad hanc rem adhibitis remediis, percurauit. Eiuſdem planè argumenti eſt, quod capite 12. de puero quodam memoriæ prodidit, cui quum tanta intus contracta aquæ vis eſſet, vt aluum in nullam partem mouere poſſet; omni ille auxilio medicorum, vt inquit, deſtitutus, temerariam ſibi libertatem vendicauit; epota etenim aqua maxima copia, minimum abfuit, quin in vitæ diſcrimen veniret: ſoluta nanque vmbilici vnitate, repente maximo impetu effluxit aqua, adeò vt niſi circumſtantes oppoſita manu cohibuiſſent fluxum, procul dubio vitam morte commutaſſet. Reuixit tamen hic, ac in totum conualuit tandem, prudenti conſilio medici vſus. Similem planè hiſtoriam Ioannes ille Langius, Palatinorum Rheni archiater, in Miſcellaneis ſuis de muliere hydropica ſitibunda, atque ſitis impatiente ſcribit; quam, ne epiſtolæ limites tranſiliamus, omittimus. Vides igitur, mi Petreie, quàm ſit interdum, ſi rectè obeatur, neceſſaria hydropicorũ per paracenteſin curatio, atque quàm tutò omnibus deſtituti auxiliis, ad eam tanquam ſacram anchoram confugere poſſimus.

APPENDIX.

HVIC nõ omnino diſſimile eſt quod anno 1578. nobis Ericipyrgi, arce Illuſtriſſimi Principis Erici Brunſuicenſium & Luneburgenſium &c. Ducis, in coquo videre contigit. Hic quum annos duos aut tres ſumma anhelitus difficultate laboraret, adeò vt vix niſi erecta ceruice ſpirare poſſet, à conſueta viuendi ratione ne latum vnguem recedẽs, tandem

in ſummam cruditatem ventriculi, cum hepatis & pulmonis obſtructione, incidit; ita vt indies magis ac magis intumeſcente ventre, vix ægra præ pondere trahere poſſet membra. Accidit auté vt quum nihil ſiniſtri ſuſpicaretur, ac more ſolito ſeſe in cubiculum quietis ergô ſubduceret, & duas aut tres, plus minus, horas ſolito ſuauiùs dormiſſet, ſenſerit abdomen lento quodam humore perfuſum: attonitoque ſimilis obſtupuit, vnà cum iis qui illi in eodem cubiculo condormierant; qui nouitate rei perculſi, me aduocandum curant. Ego igitur quum primùm eò veni, ſublatis ſtragulis, affectum locum perquiro; atque indagine facta, ſub vmbilico comperio continui ſolutionem, cuius labra adhuc dehiſcebant: & quum ex pulſu viribus nihil deceſſiſſe animaduerterem, verùm eaſdé ſolito vtcunque firmiores, iubeo præſenti ſit animo: ſperare enim me, ſi ex præſcripto noſtro velit viuere, morbi totius ſolutionem vomicæ iſtius eruptione nos conſequuturos: non enim tantùm contentum pus expurgatum iri, verùm etiam ſenſim aquam ipſam inter peritonæum & abdomen contentam. Purulenta igitur priùs expurgata materia, atque turunda vlceri, dum mundatum omnino eſſet, indita, pedetentim aquam intercutem eduximus, ac tandem patientem accurata victus ratione ad priſtinum ferè ſtatum reduximus; ita vt poſt biennium ex Italia cum Illuſtriſs. Principe reuerſus, eundem bene valenté compererim, niſi quòd ex obſtructione pulmonis, adhuc ſuſpirioſus aliquantulum eſſet.

DE MVLIERE CASV A MELANcholia liberata, ad Iacobum Varentium.

EPIST. III.

PRO *miraculo quodam Antonius Beniuennius, mi Iacobe, recitat, quòd quidam altero pede claudus, de eminentiore turre præceps cadens, deinceps re-*

ctè ambularet. Ego maioris miraculi loco duco quod non ita dudum mihi accidit. Erat quedam annos nata plus minus vigintiquinque, cui, vt ſunt garrulæ mulieres, litiganti, ac quiduis vt in buccam venerat, improperanti; vicina irritata auitum neſcio quem næuum, illi tamen incognitum, obiecit: quod eo moleſtiùs ferebat, quòd obliteratam maiorum maculam, & ne ipſis quidem cognitam prolibus, iam quodammodo refricaſſet. Cœpit illa, rei indignitate mota, ſecum mußitare, indignari, ſolitudines quærere, neceſſariosq́; omnes à ſe ablegare; ac tandem in grauißimam incidens melancholiam, quum vixdum ceſſantibus λοχείοις puerperio ex conſuetudine iuſta perſoluiſſet, nihil tamen aliud ſomniabat quàm imminentem partum: & quamuis iam planè collapſus vterus eſſet, perſuaſum tamen ſibi habebat, eundem quàm maximè turgidum eſſe. Aſtant circumquaque mulierculæ conſilij inopes: nam dum cõceptam de impregnatione opinionem eleuare ſtudent, morbum augent. Aduocor igitur & ego tandem, vnà cum doctißimo collega meo D. Ioanne Paridano: narrantur ſingula vt acta ſunt ordine. Illa interim, etſi medici operã recuſaret, quãdo me ſolum præter opinionem illi aſſentiri percepit; præterea quum pollicentẽ me audiret, ſi modò obediens eſſet præceptis noſtris, partum breuem, & quam maximè facilem; admittit quiduis; atque ſemotis aliis, rationem quærit, qua ratione partus optimè promoueri poſſet. reſpondeo, opus eſſe obſtetrice; & ante omnia, quòd aluus aſtrictior eſſet, neceſſarium eſſe eandem leni enemate eluere. Admittit: inditur per obſtetricem clyſter, ominaturq́; interim me ſuaſore omnia proſpera. Nos interea dum ferebat occaſio, quiduis non molimur ad propulſandũ morbum, purgamus, reuellimus, humoremq́; melancholi-

cum,

eum, vt potuimus maximè, reſrenauimus. Verùm omnia fruſtra: nam quum vana parturiginis ſpes diutiùs protraheretur, indies magis ac magis ingraueſcebat malum; adeò vt iam vinculis coërcenda eſſet. Illa interim intelligens, arctum conclaue apparari in quod recludenda eſſet, ſolitudinem nacta, proſilit è lecto, ac ſubitò conſcendit vicinum periſtylium, ſuſpicata ibi ſe ad tempus deliteſcere poſſe. Redeunt tandem in cubiculum quibus cura illius demandata erat, & appropinquantes lecto, nihil audiunt, nihilq́; vident. Accenduntur candelæ, ægrotam è lecto profugiſſe comperiunt, circumſpiciunt quoquouerſum; vident tandem illam ſtatuæ in morem erectam in periſtylio ſtantem. Illa interim perquirentium oculos in ſe intentos conſpicata, verita nequid grauius in eam decernerent, vt ſunt melancholici ſuſpicaces prorſus & meticuloſi, ex periſtylio præceps in pauimentum decidit: corripiunt eam alij, inopinato caſu attoniti, atque in lectum deferunt. Ibi illa aliquantulum quieſcens, in ſuauem incidit ſomnum, à quo & delirare deſiit; & quæ antè cibos faſtidierat, & non niſi coacta eoſdem ſumere ſolebat, iam vltrò illos poſtulabat; ac ſenſim ad ſe rediens, congrua victus ratione obſeruata, citra medici alicuius operam conualuit. Noui & aliam ætate prouectiorem, mihi admodum familiarem, quæ, quum & ipſa delirare cœpiſſet, fortuito caſu conualuerit. Quod quidem, quantum ego coniicere poſſum, in iis ſolummodo melancholicis locum habere poterit, quæ oriuntur eo tantùm ſanguine qui iuxta cerebrum eſt alterato, reliquo in toto homine illæſo permanente: aut ſi ob ventriculi os primario affectum, ob cognationem in conſenſum rapiatur cerebrum. Veriſimile ſiquidem eſt, violento illo ac forti caſu corporis compagem concuti, atque melancholicum

humo-

humorem forti illa concuſsione à cerebro ad partes inferiores delabi.

IN BOVE EXENTERATO, VNICVM *inuentum renem, ad Cornelium Heydium.*

EPIST. IIII.

VSITATVM *admodum, ac frequens eſt, naturam varietate & nouitate rerum ludere, ac ſemet quodammodo oblectare: nam & hodie tot tamq́; varias monſtroſorum partuũ ideas profert Europa, quot nec Africa, monſtrorum parens, afferat. Vidit ſiquidem noſtra ætas bicipites, vnimanus, & in totum manibus brachiisq́; deſtitutos, tripodes, apodes, geminos; vt interim enormia aliquot monſtra omittã, quæ ſicuti rara ſunt, ita non citra ſummi numinis prouidentiam naſci ſuſpicio eſt; vt videlicet vindictæ diuinæ memores mortales, diſcant aliquando omnia ſua ad Deum Patrem referre, ac tandem carnalibus concupiſcentiis frenos imponere. Siquidem quid aliud monſtra illa terroris pleniſsima, Cracouiæ anno* 1547. *Rauennæ anno* 1512. *& Oxoniæ anno* 1552. *viſa demonſtrabant, quàm Dei flagellum quo nos ad ſe allicit, atque monet vt à conſuetis vitiis abſtineamus? Verùm hæc, vt rara admodum, & non niſi magnam ſubitamq́; in rebus publicis immutationem præſagientia, relinquamus, ad alia digreſsi quæ oculis noſtris quotidie ſeſe obiiciunt: vti ſunt abundantes membrorum partes, aut deficientes; exempli gratia bini pollices, quinque digiti, aut eorundem defectus, vel etiam quoties natura pro duobus membris, quæ in hominis corpuſculo, & reliquis animantibus ad ἰσοῤῥοπίαν, vt auctor eſt Galenus, gemina eſſe voluit, vnicum tantùm largita ſit; vt ſi pro duobus teſtibus, aut renibus vnicum tantùm habeamus. quod nobis forte fortuna anno ſalu-*

tis humanæ 1562. in vacca exenterata videre contigit: ea ſiquidem vnicum tantùm renem in medio ſpinæ exactè ſitum, eundemq́ maximum habebat: quod & ſeſe animaduertiſſe in viri cadauere aſſerit Carolus Stephanus, libro anatom. 2. cap. 15. & Realdus Columbus lib. anatom. 15. Quæ ſi Aſclepiadem illum, eiusq́ aſſeclas videre contigiſſet, dubium non eſt quin naturam incuſantes, Momi in morem eiuſdē ἀτεχνίαν redarguiſſent, atque ocioſam prorſus appellaſſent; quãdo antè non fuerint veriti, eandem vanè laborantem nominare, quòd geminos renes procreaſſet, quum vnus in medio ſpinæ ſitus, vt hoc noſtro paradigmate oſtendimus, ſufficere poſſe videatur ad ſeroſos illos, aqueosq́ humores ab hepate, liene, atque aliis vicinis particulis attrahendos: ac proinde quum fruſtra fiat per plura quod fieri poteſt per pauciora, vt vetus habet axioma, fruſtra etiam duos creatos renes, quum vnus ſufficere potuiſſet. Verùm huic argumento quoniam Galenus libro De vſu partiũ quinto abundè reſpondit, hoc vnum adieciſſe contenti erimus, quòd etſi natura per vnicum renem ſeroſum illum humorem ſufficienter expurgare potuiſſet, quemadmodum in duobus iam nominatis cadaueribus factum fuiſſe veriſimile eſt; tamen multo maiore compendio, & minore moleſtia id per duos efficit, ſingulis per vices, vt docet protoſpatarius ille Theophilus, functiones ſuas obeuntibus, atque attrahentibus. Huc adde quòd ſi ἰσόῤῥοπον futurum erat corpus, vt meminit Galenus; neceſſum eſt vtrinque vnum locari renem, quando ſi magnus aliquis ren vel in ipſius ſpinæ medio ſtatuatur, ita ſituari non poſſit quin ad alterum latus declinãs, æquilibrium, & iuſtam alioqui ad Polycleti regulam cõſtitutionem præpediat. nam etſi quam maximè citra manifeſtã noxam

in rerum

in rerum natura conſiſtere poſſit, monſtroſum tamen cenſemus, ac prorſus mutilum. Te autem, mi Corneli, quæ in vacca illa exenterata mihi videre contigit, celare minimè volui, vt & tu viciſſim ſi quid habes naturæ quodammodo luxuriantis, aut laſciuientis (abſit verbo inuidia) exemplũ nobis non inuideas. Offeruntur enim noſtris oculis non rarò in brutis quæ contra communem omnium opinionem ſunt: nam non ita dudum videre mihi contigit cor bubulum, cuius ventriculi vtrinque diſſecti, ſebo pleni eſſent, quod vt rarum, ita contra Ariſtotelis, & Galeni ſententiam eſt; qui aſſerunt, neq. circa cor, neque calidam aliquam particulam pinguedinem naſci. Tu interim cura vt quàm rectiſſimè valeas.

DE PVERO HYDROCEPHALICO. V.

SCITISSIME Lucianus in Charonte, vitas hominum ſimiles bullis huiuſcemodi facit, quarum aliæ ſimul atque natæ ſunt euaneſcunt, aliæ paulo diutiùs durant, omnibus breuiſſimis interuallis aliæ ſuccedunt aliis: neque quicquam potuit excogitari quod meliùs repræſentaret quàm nihil ſit hæc noſtra vita. Videmus ſiquidem indies quot periculis ſubiaceat homo: nam præterquam quòd natus iam pluſquam trecentis impetatur morbis (vt interim veneficia prætercam) in vtero conceptus adhuc, & necdum in lucem editus, variis ſubiicitur periculis. nam & prægnans ſi aut corui ouum, aut viperam etiam inſcia tranſgreſſa fuerit, abortire dicitur: præterea (quod vix caueri poteſt) odor à lucernarum extinctu plerunque abortus cauſſa eſſe ſolet: adde quòd mulieres nõnullæ vt leuiſſima de cauſſa percelluntur, atque attonitis ſimiles reddũtur, ita conceptos fœtus frequenter grauiſſimis incõmodis inſciæ afficiunt; vt interim plurimos

plurimos periculoſiſſimóſque morbos ſilentio præteream, quibus in vteri materni clauſtris deliteſcens adhuc infans moleſtatur, atque ipſas dum latebris excluditur ærumnas. Cenſentur enim difficiles ac laborioſi prorſus partus, qui à naturali figura diſſident. Naturalem autem figuram fœtus appellamus eam qua manus femoribus porrectæ ſunt, caputq́ ad os vuluæ rectà dirigitur. Proxima huic, ſed aliquanto laborioſior eſt, quoties in pedes conuerſus infans eſt. Reliquæ omnes contra naturam cenſentur, atque hæ quidem quo plus à naturali figura diſcedunt, hoc laborioſos magis partus efficiunt, quibus etiam addere licebit vitium ipſius fœtus, vt ſi exiguus & modicæ grauitatis, vt ſi inuſitatæ magnitudinis exiſtat, vel monſtroſus, vel mortuus, vel imbecillus, vel caput ipſum reliquo corpore ſatis proportionato diſtendatur in inauditam molem, quod nō ita dudum videre mihi contigit, adeò rectè dicit Homerus οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο. Et quamuis ab aliis de difficilibus ærumnoſiſque partubus abunde dictum ſit, & nos in noſtris centonibus de iiſdem nonnulla in medium attulerimus, placuit tamen propter raritatem hoc noſtrū exemplū deſcribere, vt deinceps ſeſe præbeant faciliores affines in eximendis cæſonibus, vbi nulla ſalutis ſpes reliqua eſt; nec differre poſthac imperent, dum ad tempus aliquod animam emiſerit nixuriens, atque vt ciuitatum præfecti ſemel deſiſtant in nos imperium agere, atque certis ſeptis nos cohibere, quaſi ipſi neſciamus quādo aut eximendus ſit cæſo, aut fœtus mortuus per chirurgiā euellendus. Vt igitur ad propoſitum veniam: Erat hic mulier annos nata plus minus vigintiquinque. hæc quum geſtaſſet vterum, atque vltimo vere (præceſſerat enim hyems auſtrina) parturiginem moliretur, multis laboribus

ribus

ribus defatigata, tandem vitam morte commutauit: venter interim ita intumuerat, vt geminos vtero conceptos quiuis ſuſpicaretur. Defuncta igitur muliere aſsiſtentes conſilij inopes me acciri iubent, venio vt poſſum ocyßimè, perluſtro ſingula, contracto vterum, atque inueſtigo num aliqua viuidi fœtus ſuſpicio ſuperſit. Iubeo interim vrbis prætorem conueniri, vtrum per eum integrum ſit inciſionem experiri. Interea dum, vt dixi, ventrem pertracto, videor mihi ad impulſum digitorũ ſubſultationem quandam perſentiſcere. Quum igitur fœtida illa colluuies quæ mortuos partus præcedere ſolet, nondum effluxiſſet, etſi iamdudum animam egiſſet parturiens, cœpi ſpem aliquam animo concipere, quòd ſubſultatio illa viuidi fœtus ſignum eſſe ſoleat: iubeo igitur meliore vtcunque ſint animo, ſperare enim me breui viuum execturum puſionem. Lineam igitur cultro raſorio per ſiniſtrum hypochondrium mulieris circa vteri extuberantiam duximus, cautione habita, ne altè nimis inciſio penetraret: vbi ad matricem iam deuentum eſſet, atque eam diſſecuiſſemus, ecce obuium ſeſe dedit infans mortuus, caput habens adeò aqueo humore diſtentum, vt reliquam corporis molem æquaret, nam vſque adeo redundauerat humor, vt ſuturæ capitis ob multitudinem diſpararẽtur, qui quum lentus eſſet, ac mollis, ad tactum cedens, & tranſiens ad digitorum contactum ſubſultationem quandam mentiebatur. Id vitium hydrocephalian vocant, caſus rarus admodum, & difficilis. Neceſſum etenim erat hic ſicuti euenit, aut matrem vnà cum fœtu periclitari, aut neglecta ſalute puſionis, partum promouere, atque chirurgica arte fœtum eximere, matremque à morte aſſerere, & ſcalpello quod σκολοπομαχαίριον vocat Ægineta, inciſa cute humorẽ aquoſum imminuere,

& ſi

& ſi ne ſic quidem ſubſequi velit, quibuſuis etiam modis propulſionem moliri, vt ſalua ſaltem matre mortuum pondus expellatur.

OBSERVATIO ADMIRANDA IN CASEO. VI.

QVOD *cibus ac potus quem quotidie aſſumimus, corpus noſtrum alteret, quanquam clarius ſit quàm vt multis argumentis demonſtretur; nos tamen vno exemplo vt euidentius ſit docebimus, vbi breuiter oſtenderimus ſanguificationẽ, non tantùm in hepate, ſed & in venis obiri: Siquidem poſteaquam chylus qui in iecore conficitur, à ſuperfluis expurgatus eſt, ac purus, ac ſyncerus, rubicundiorque factus, in cauam defertur venam, ac primum quidem à feroſo expurgatur humore, qui ad renes delabitur, deinde inchoatus hic ſanguis partim hepatis vi vlterius in venas propellitur, partim à propinquis venæ partibus attrahitur; quæ deinde in alias proximè ſitas partes extrudunt, ita vt tandem per vniuerſum corpus diſperſus ſanguis in venis, ac arteriis, quæ nunquam ocio perfruuntur, multo exquiſitius elaboretur, & conficiatur, qui elaboratus iam in grauidis per venas quaſdam variis anfractibus ad hoc natura deſtinatis, in mamillas defertur, vbi magis el. boratus in aliam ideam transmutatur, ac lac efficitur; eſt enim lac alimentum exactè elaboratum. Cæterùm ſanguis hic, vt iam diximus, prorſus perfectus, in minores venas diſpergitur, quæ viciſſim eundem per oſcula cæca, ceu rorem quendam in omnẽ corporis ſubſtantiã effundunt qui per omnia diffuſus iml i itur, atq; ſubſtantiæ noſtræ aſſimilatur. Quod ſi mali ſucci ſit quod aſſumimus alimẽtum, non ſolum ſanguis is qui in hepate ac venis conficitur, ſed*

& neque lac ipſum probè elaboratum erit, quod hoc noſtro paradigmate clarum euadet. Anno ſalutis humanæ ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſecundo, quum anni conſtitutio eſſet auſtrina prorſus, ac continui imbres ſqualida redderēt prata, ac gramen ipſum odoris ſaporiſque gratiam in deterius mutaſſet, putidumque neſcio quid ſpiraret, armenta quæ iiſdem, vt neceſſitas cogebat, veſcebantur, peripneumonia, aut hepatis inflammatione, aut duritie corripiebantur, atque interibant, adeò vt ex quinque boum iugis vix duo ſuperniuerent. Interim ſi quæ protrahebant vitam, inſequente hyeme aut in ſtabulis moriebantur, aut vitam valetudinariam viuebant; vaccis ſi quod lac emulgeretur, feroſum prorſus erat, parum admodum caſeoſæ, aut butyroſæ ſubſtantiæ continens, & quod exquiſitè ſalubre dicere non poſsis, quum ab ægris animantibus ſalubre aliquid decidi nequeat; nam quemadmodum Hippocrates dicit de ſemine, quod à ſanis quidem ſanum, ab infirmis infirmum profluat; ita etiam veriſimile eſt, ab ægris vaccis infirmum, & inſalubre lac emulgeri. Quum igitur ruſtici, vt res poſtulabat domeſtica, omnem operam atque diligentiam in exprimendis cogendisq́; caſeis, vt rei familiari aliquid accederet, nauarent, accidit vt vnus Goudam Hollandiæ caſeos deferret, ſigillatimq́; eos proſtituens, inter reliquos vnum vendiderit, qui circa medium diſciſſus, (vbi pinguiores ſolent eſſe caſei) etſi concretus quodammodo eſſet, tamen ab aliorum caſeorũ ſubſtantia differebat plurimum, quum feroſo quodam & ſanioſo liquore diffluerat; adhæc quòd in eo manifeſta indicia corrupti, neque ſatis elaborati lactis eſſent: videre enim licebat notas quaſdam ſanguinis nondum in ideam lactis transformati, qui nec ipſe verus & perfectus erat

ſanguis, ſed ſanioſus quodammodo, ac putris, adeò vt manifeſtum hinc ſit, ex purulentis, morbidiſque animantibus nunquam probum decidi lac. Ac proinde quoniam lac inter omnia ſi bonum ſit, optimi cenſetur ſucci, ac ocyſsimè ſubſtantiæ corporis noſtri aſsimilatur; rurſuſq; ſi aut improbum ſit, aut in intemperatū inciderit ventriculum, citiſsimè corrumpitur; cauendum vnicè moneo ei qui ſanitati conſeruandæ ſtudet, ne in venis ſemicocto, aut non ſatis elaborato, aut improbo alioqui lacte, aut lacticiniis ex eodem confectis vtatur; quòd vberrimam materiam putredini ſubminiſtrent, atque corpus vitioſis repleant ſuccis.

DE SCIRRHOSO TVMORE EX ORE EX*creſcente, ad Hadrianum Iunium.* VII.

RECEPI, *mi Iuni, acroſtichida quam ad me miſiſti, longè gratiſsimam, vel eo potiſsimùm nomine, quòd me nihil tale promeritum, amicorum tuorum albo aſcripſeris. quid enim Ronſſeo gratum magis, vel optatum obtigiſſe potuit, quàm vel tenuiter Iunio innotuiſſe? faxit Deus Optim. Max. vt tua ergà me humanitati, & beneuolentiæ aliquando reſpondere poſsim: & quoniam iam aliud non paſſum, quantum in me eſt, tibi condoleo, atque vtinam ſympathia hæc noſtra leuamen aliquod cruciatui tuo afferre poſſet! ſperarem breui, ſolos huius Reipub. ciues, te in ſolidum aſſerturos, ac præcauturos, ne corpuſculum tuum deinceps morbus impeteret. quæſo interim, vt ſi hic me aliquo modo tibi vſui fore putes, imperes; ego quòd in me eſt, factum curabo. Quod ſcribam in hoc Belgij noſtri miſerrimo ſtatu Dauo illo decumano, interturbante omnia, habeo nihil; niſi quòd non ita dudum in manus noſtras caſu nonnulla &*

admirandus prorſus inciderit, & paucis, vt eſt ſuſpicio, viſus, aut auditus. Mulier erat quinquagenaria maior, in ſiniſtra maxilla frequentes habens chœradas, verrucis non abſimiles; quæ quum annos aliquot fixæ ibidem hæſiſſent, atque incrementum facerent, accidit tandem, vt eo ferè loci vbi genuini dentes oriri ſolent, tuberculum ſeſe inſinuaret, quod ſenſim augeſcens in tantam molem extuberauit, vt totam buccam prorſus diſtenderet, adeò vt miſeram cynicoſpaſmo, aut oris tortura apprehenſam diceres. Et quum illa fruſtra vel ab ipſis empiricis opem implorasſet, ita tandem excreuit, & in eam duriciem degenerauit (erat enim cartilaginoſa ſubſtantia) vt depreſſis inferioribus dentibus, & loco ſuo quodammodo motis, occupata oris circumferentia, extra os prominens punicum malū magnitudine æquaret, adeò vt iam viam ingerendo cibo, & potui ferè præcluſerit, quando nihil in buccam aſſumere potuerit, quod non citra maximos labores auricularis digituli adminiculo ingereretur. Quum igitur eò, vt dixi, res deueniſſet, aduocor cum chirurgo, & tui ſtudioſiſſimo pharmacopœo noſtro; admiramur protinus inſolitum, paucis cognitum, & periculi plenum morbi genus, idq; eò potiſſimum, quòd illa nobis recitaſſet, quòd quum agyrta quidam per ſectionem malo mederi ſtuduiſſet, minimum abfuerit quin ex immodica ſanguinis profuſione animam exhalaſſet. Igitur dum hæſitabundi quodammodo inter nos conferimus qua ratione, commodiſsimè præſenti ſymptomati ſuccurrendum ſit, & dum ego idē ad aliquod ab Hippocrate Galenóue ſcriptorum fruſtra referre ſtudeo, venit tandem in mentem curatio 99. centuriæ quintæ Amati Luſitani, in qua agit de Scirrho ingenti in ore nato, & tandem per vſtionem exempto. Præterea ſuccurrebat nobis locus

 Theophraſti

Theophraſti Paracelſi libro De apoſtematibus cap. 15. vbi morbum quendam deſcribit (quem alcola vocari dicit)cui omnia accidentia quæ accidiſſe huic mulieri diximus,accepta fert;tantum in natalibus nonnihil à noſtro diſcrepare videtur.dicit enim: Alcola eſt carnis quadam ſuperfluitas,inſurgens ex venis Iouialibus per Martis regiones tranſeuntibus, & naſcitur ſolùm in emunctorio Martis,id eſt oris labiis;noſter autem hic morbus,vt iam memini,originem trahebat circa extremum maxillæ inferioris proceſſum,quem κορώνην vocant. Perpenſis igitur ſingulis,atque animaduerſo ſitu, & quàm non citra ſummum periculum cauteria heic in vſum vocare poſſemus, conſiderantes, quamuis Amatus Luſitanus dicta curatione ea via proceſſerit, & Paracelſus alcolam ſuam cum realgare præparato, & ſuccò chelidoniæ curandam dicat,tutiore conſilio per deligaturam curationē aggredi viſum fuit. Filo igitur apprehenſa excreſcentia illa ex ore prominente indies magis ac magis conſtrinximus, tantiſper dum deligata pars filo reſecata decideret: quod quum quater deligaturam ſemper altius figentes reiterraſſemus;totum malum tandem eruncauimus, vſi poſtea medicamentis ad abſtergendam putrilaginē, quæ emortuæ illi excreſcentiæ adhæreſcere ſolebat. Ita grauiſſimum malum minimo tandē negocio ſuperauimus; vnà & ipſos dentes loco ſuo,vt ſcripſi, motos & vacillantes gargariſmate ex biſtorta, & aliis id genus concinnatis ſtabiliuimus,& ſuo loco reſtituimus.

PECTORE SVPPVRATVS RVPTA *vomica liberatur.* VIII.

NON iniuria Hippocrates noſter artem longam eſſe teſtatur,vt quæ nullis certis omnino conſiſtat

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

liminibus: ſiquidem etſi is Aphoriſmos ſuos nobis reliquerit, ad quos ceu Polycleti regulam, & certum quendam ſcopum actiones noſtras dirigere poſſimus: Vſus tamen quotidie docet, nihil tam eſſe certum, nihil tam firmum, quin nonnunquam fallat. Hippocrates ſiquidem ſegmento ſexto Aphoriſmorum, veſica diſciſſa, aut cerebro vulnerato, aut corde, aut aliqua ex tenuibus inteſtinis, lethale eſſe dixit: in cuius commento Galenus inquit, quòd cor quidem vulneratum mortem afferat neceſſario, vnum ex iis eſt quæ in confeſſo habentur: eſt enim ſpirituum, & vitalis caloris fons, & origo. Et Paulus ex Ægina medicus, Cordis affectus ſi quidem primario acciderit, omni deſtituitur medicorum auxilio, & in maturam mortem præcipitat; nempe quum inflammationem, eryſipelata intemperieſq; calidas in acutiſſimis febribus ipſis experitur, item proſluuium ſanguinis ex ſiniſtri ventriculi vulnere. Præterea Hippocrates libro De morbis, nullum oboriri in corde morbum teſtatur, neque aliquo humore idem infeſtari, quòd eius ſubſtantia ſolida ſit, & denſa. Id non ſemper verum eſſe docuit Nicolaus Maſſa Venetus, qui quum mercatorem ex vulnere capitis mortuum ſecuiſſet, atque obiter thoracis partes perſcrutatus eſſet; inuenit præter omnium ſpem & opinionem vlcus in altera auricula, & ſubſtantia cordis, magnitudine oui gallinacei, quem tamen familiares, ac affines negabant vnquam ex cordis dolore aut laboraſſe, aut queſtũ fuiſſe. Præterea non ita dudum Mathias Cornax Inuictiſſimi Romanorum Imperatoris Maximiliani ſecũdi Medicus, ſcribit Viennæ Auſtriæ diſſectũ fuiſſe bibliopolam quendam; qui quum ſubitò ex ſyncopi obiiſſet, affinium ſolicitationibus inciſo corpore, inuentam fuiſſe pluſquam mediam partem cordis ſanioſam, & putredine planè abſumptam,

ſumptam: & vt alia nonnulla ab eodem ſene ſcripta, & paſſim recepta in medium proferam, dicit quòd morbus comitialis ſenes, ac admodum adultos interimat, aut vt minimum leuiter ſideratos faciat; quia venæ ipſis ſunt euacuatæ, inquit, & ſanguis modicus, & aquoſius eſt; id quoque non ſemper habere locum in muliere ſeptuagenaria, & eo amplius animaduertimus, quæ non multo poſt Calendas Ianuarij *hora noctis decima, grauiſſima correpta epilepſia, atque exagitata continuis conuulſionibus, non citra ſummi numinis adminiculum me cooperante conualuit, citra vllam ſiderationis notam; & quum eodem anno ter repetiſſet affectio, per me curata fuit, & in ſolidum priſtinæ reſtituta ſanitati. Eòdem referri poſſunt quæ de ſuppuratis ab angina aut laterali morbo ſcribit* Hippocrates *: is etenim in Aphoriſmis, & poſt eum* Celſus, *qui anginam euadunt, inquiunt, iis ad pulmonem tranſit malum; & intra ſeptẽ dies moriuntur; ſi verò hos euaſerint, ſuppurantur, & quicunque pleuritici facti intra quatuordecim dies per ſuperiora non purgantur, iis malum in ſuppurationem conuertitur: At qui à pleuritide ſuppurãtur, ſi intra quadraginta dies, à quo fit ruptio, per ſuperiora purgantur, leuantur; ſi verò minus, in tabem abeunt. His enim vtriſq. niſi vt plurimum in quadraginta diebus, ait* Galenus *, puris euacuatio fiat per ſpuitiones expurgati, neceſſum eſt pulmonem exedi, pure proceſſu temporis putreſcente: vbi* Hippocrates *quemadmodum etiam libro prædictionum dicere videtur, purulentos per ſpuitionem tantum expurgari; quod tamen alia ratione fieri animaduerterunt alij, & quotidiana docet experientia: videmus ſiquidem ſuppuratos, modò per lotium excreto pure, interdum etiam cum excrementis eodem reiecto expurgari. Siqui-*

dem, quemadmodum ait Ægineta, rupto in pectore apoſtemate, pus aliquando in ventriculum, & inteſtina, aliquando in veſicam per venarum amfractus, ac meatulos veluti aquæ ductus defluit, & labitur: neque id latuit Galenum, qui libro ſexto De locis affectis in hūc modum ſcribit: Nihil mirum, nec impoßibile eſt, & ex partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus pus in ventrem defluere, & ex his quæ eidem ſupponuntur, ipſum per renes in veſicam venire. quod quoniam clarius nonnihil à Ioanne Meſueo deſcriptum eſt, eius quoque verba appoſuiſſe non abs re videtur. Poſt abſceſſus, inquit, in lateribus pectoris eruptionem, ſanies per pulmonem quibuſdam cum tußi excreatur, & quibus in pectoris cauitate diſtillat, his vel per venam chylis in partem hepatis concauam defluit, & inde per inteſtinorum venulas cum alui excrementis effluere poteſt: ſi verò de pectore ad partem hepatis conuexam deferatur, inde per venas emulgentes ad renes ac veſicam erumpere poteſt: quod Beniuenius Antonio cuidam ex pleuritide ſuppurato contigiſſe meminit; qui quum morbus ad maturitatem perueniſſet, euacuato per vrinam pure priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt: quæ tanquam à multis animaduerſa curſim & leuiter tantùm percurrenda cenſui. Cæterùm illud quod ab annis Anno 1550. *aliquot Furnis ciuitate Flandriæ occiduæ mihi videre contigit, ſilentio nequaquam præterire poſſum, idque eo potißimum, vt videant noſtræ profeßionis viri aliquot, quàm faciant parum chriſtianè, qui deploratis, & quos prognoſticis relinquēdos dicit Hippocrates, operam ſuam recuſant, quaſi id citra nominis periculum facere nequeant, quum videamus nonnunquam naturam varios curationis ſcopos moliri; quod & hac noſtra hiſtoria clarum euadet. Erat Furnis vir non infimæ cōditionis Ioannes*

nes Taetſius.is apprehenſus angina acciri iuſsit ſeplaſiarium quendam ouromantem, qui ne ſuo deeſſe officio videretur, ſtatim catapotia deglutienda afferebat: quæ vt nonnihil turbarunt aluum, ita parùm admodum ad materiæ abolitionem faciebant; quinto etenim ab aſſumpto pharmaco die, inuaſit eum continua febris, aluusq́; iam prorſus indurauerat, lotium paucũ erat, facies admodum rubicunda, atque perturbata; in ſumma, omnia viro præſentem intentabant mortem. Ego interim tandem aduocatus, etſi præſentibus ſtatus anxietatem, & futuri duelli difficultatem explicuiſſem, quod in me fuit, meo non defui officio, calorem illum febrilem compeſcens, & ne vlcerato pulmoni (quod ſummè metuebam) phthiſis ſubſequeretur, ſuppurationis maturationem ſtudeo promouere, fomentis ad id per ſpongias, emplaſtru, atq; cataplaſmatis adhibitis: Quod vbi decem aut paulò ampliꝰ dies continuaſſem, thoracem contemplatus, video vtrinque paulo infra mamillas efflorеſcentem quandam rubedinem cum leui tumore: & quũ interroganti mihi num dolor aliquis pungens eô loci eſſet, reſpondiſſetque dolorem quidem perſentiſcere ſe, verùm totum corpus adeò excruciari, vt qua parte magis vrgeat dolor ignoret; iudico, quod res poſtea docuit, breui heic vomicam eruptum iri: nam vigeſimo die ſupra ſeptum tranſuerſum in ſiniſteriore pectoris parte primùm facta continui ſolutione, maxima puris effluxit copia, ac deinde tertio poſt die, altero illo tumore quem in dextero fuiſſe latere dictum eſt rupto, puris ſic ſatis erupit. quòd vbi peractum eſt, extemplò ſe ipſo alacrior redditus patiens, remiſsius febricitauit, dormiuit ſuauiùs, reſpirauit faciliùs, & pro temporis ratione appetebat, & concoquebat cibos. Nos interim veriti ne vlceris labra conglutinationem ad-

mitterent, aut coaleſcerent, propter continuum materiæ affluxum, qui nobis ſuſpectus erat, quòd pulmonem purulentum prorſus eſſe animo cõcepiſſem; abſterſo, ablutoque vulnere cum melicrato, ac pro artis ratione deligato, atq; iis exhibitis quæ pus expurgant, atque facilitant, præter opinionem hominẽ reſtituimus, ac perſanauimus: quod ſummo illi medico qui omnia poteſt in omnibus, & qui per Samaritanũ vulnera οἰνελαίῳ perfudit, aſcriptum eſſe volumus, quum inter miracula non infimum cenſendum ſit: Siquidem ſi in pulmonia vehementi ac periculoſa abſceſſus in cruribus erumpentes Hippocrati boni ſunt, ac vtiles, quòd deorſum, & quàm longiſſimè ab ægrotatione abſiſtant; optimi tamen ac omni periculo vacui non cenſentur, qui citra concoctionis ſigna erumpant: quod, vt ait Galenus, etſi hominem à periculo in pulmonia imminente liberent, articulus ipſe in quem abſceſſus decumbit, difficiliùs ſanitati reſtituatur, adeò vt nonnunquam claudicet æger. Nobis certè metuendum erat, ne in loco vicino ac nobili orta vomica, tragœdiam aliquam excitaret, & ne puris putredine, aut acrimonia corroſo diaphragmate, aut ſubſtantia pulmonis, aut venoſo genere, vt minimum phthiſis ſubſequeretur, aut ſubita ex inſperato mors, præſertim quando, vt iã diximus, omnia ſigna mala eſſent, & certã mortem prænunciarent, quando nec morbi ipſius magnitudo, vel ægri ipſius vires vſtionẽ, aut ſectionem ad puris excretionẽ faciendam admittere videbantur, quæ alioqui purulentis, vel ipſo Hippocrate teſte, quoties pus in pectus erumpat, non inutilia ſciebamus: Nam & Plinius ipſe memoriæ prodidit Phalcræum quendam vomicæ morbo à medicis deploratum quum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam inueniſſe.

NAVTA

NAVTA EPOTA AQVA SEGREGAtionis, quam fortem vocant, ſanitati reſtituitur. IX.

PLINIVS Naturalis hiſtoriæ libro ſeptimo dubitare videtur, parens homini melior natura, an triſtior nouerca fuerit; idq́ non immeritò meo quidem iudicio; quando cæcis quibuſdam affectibus ad omne vitiorum genus rapiatur homo; & quando, vt idem ait, non aliud ſponte natura faciat quàm flere? Siquidem etſi canibus ſua non deſit ingluuies, paſſerculis ſua ſalacitas, pauonibus ſuperbia, delphinis laſciuia, hircis libido, leporibus metus, vulpeculæ fraus, vulturi edacitas, ſimiæ adulatio ac philautia, felibus rapacitas, ac gallis gallinaceis iugis quædam inter ſe contendendi cupiditas: ſolus tamen homo omnibus his non tantùm, velut œſtro quodam percitus, exagitatur; verùm & quod natura deeſt, arte ſupplere ſtudet, atque omni vitiorum genere vniuerſa animantia ſuperare contendit, adeò ferus, adeò rigidus, adeò faſtuoſus, laſciuiæ rabieq́ plenus eſt, vt niſi ſalubribus maiorum inſtitutis ab iiſdem diſſueſcat, & rationis frænis coërceatur, cum brutis animantibus etiam certare poſſit. Siquidem quum cætera animantia natura duce gulæ modum imponere, atque eiuſdem ingluuiem repagulis quibuſdam cohibere ſoleant; ſolus homo, vt eſt guloſus prorſus, ſibimet materiam progignendis morbis, excogitatis nouis quibuſdam cupediis ſubminiſtrat, dum fungos terræ lepram, ſtrobilos, boletos, tubera & quiduis non experitur, dum acetariis quaſuis non herbas, & radices admiſcet, quæ præſentem nonnunquam afferant mortem, quemadmodum ante annos aliquot Antuerpiæ mercatoribus quibuſdam Italis accidiſſe audiuimus; qui vt noui-

vt nouitate aliqua palatum delinirent, acetariis aconiti lycoctoni radices admiſcētes, inſcij edentibus certam attulere mortem. Sed hac miſſa facio, ne dum ſingulas gulæ cupedias recenſere ſtudeo, in infinitum excreſcat oratio. Illud certè ſilentio haudquaquam præterire poſſum, quòd anno ab hinc quarto, nauta quidam ex iis qui aliis operas tradere ſolent mutuas, epota aqua ſegregationis, quam ſortem nominant, in grauiſſima inciderit ſymptomata, atque ab iiſdem minimo negotio liberatus fuerit: res autem ita ſe habet. Is quū ad pagū Alpheen,
Anno 1558. *quem antiquitus Caſtra Albiana fuiſſe coniectura eſt, nauem vnam deduxiſſet, atque abſoluto penſo reditum meditaretur, forte fortuna conſpicatus lembum, qui Leyda, quam Lugdunum Batauorum vocant, Goudam ageretur, ſiti æſtuans in eundem proſilit, conſpicatusq; amphorulam ſtudioſè coopertam, ſuſpicatus eſſe aquam vitæ vulgo dictam, quam ex fece vini, aut cereuiſiæ, aut ipſo alioqui vino per ſublimationē eliciunt, ea clanculum, furtimq; ſurrepta, quòd ſiti ſatu eſſe putaret, vno ſpiritu exhauſit. Ille interim ſtatim ac bibiſſet, ſenſit ſtomachi, faucium, atque totius gutturis ardorem cum vellicatione quadam, & contractione ſpaſmo non diſſimili. Domum igitur reuerſus, rem vxorculæ, vt potuit, optimè enarrat. illa rei nouitate perculſa, atque attonitæ quodammodo ſimilis, nec ſatis intelligens quid ille muſſitaret, aut obmurmuraret, cito pede ad me fertur (habitamus enim in vna eademque vicinia) proclamat maritum deleterium, neſcio quod, bibiſſe; rogat igitur vt alexipharmacum aliquod præſcribam: Perquiro vt vſus artis poſtulat, cui tandem veneno remedium quæreret; pro toxicorum enim differentia variare etiam remedia: aliud ſiquidem his qui aconitum, aliud qui cantharides,*

gypſum,

gypſum, aut pſimythium biberunt, dandum eſſe medicamen. Illa interim eandem ſemper canens cantilenam, nihil præter ſumptum venenum ingeminabat: Præſcribo igitur pro tempore quod ex vſu eſſe putabam, iniungens vt ſi qua ratione poßit, oleum ex ſemine raporum elicitum, aut ſimile aliquod illi propinaret, vt videlicet per vomitum aſſumptum medicamentum reiiceretur: deinde iubeo glandem ſuppoſititiam indat ad ſollicitandam aluum, ac deinceps granula aliquot vnicornu cum pauxillo theriaces electæ ſumenda offerat: In ancipiti enim hoc caſu, alia methodo vti non potui. quando Scribonius Largus dicat, quoties ſuſpicio aſſumpti mali medicamenti accepta fuerit, primùm quidem aſſumere oportet quæ nauſeam faciunt, vel oleum per ſe, vel cùm aqua, & reiicere; deinde ea quæ ventrem molliunt, tanquam lac; album ius pingue & ſalſum, poſtea remedia propria ad ſingula quoque & antidotos accipere. Iubeo igitur vt omnibus ex præſcripto noſtro peractis, ſtudioſe ſingula accidentia perpendat, atque obſeruet, ac tandem per occaſionem, ſi quo modo fieri poßit, expiſcetur, quidnam ſit id quod aſſumpſit; ac deinceps poſtridie ad me reuertat. Sed dum illa mariti caſum dolens fruſtra ſciſcitaretur, ex improuiſo ſuperuenit mulier quæ amphorulam illam aqua ſeparationis plenam repoſuerat, atque vt erat ad rem attenta prorſus, neſcio quid mußitans queritur, quòd nauta quidam, quem eô loci habitare intellexerat, ſe inſcia, arrepta amphorula, nonnihil liquoris, cuius ſolius ergô Lugdunum Batauorum profecta eſſet, ebiberit. æquum igitur eſſe vt illatum damnum reſarciat, quod ni actutum faciat, curaturam ne impune factum dicat. Vxor nautæ rei nouitate perculſa, illa relicta ſubitò ad me accurrit; rem omnem ordine narrat. Ego bono

animo eſſe iuſſi, nihil etenim ſubeſſe periculi, curaturum breui vt mitigato dolore, ac ardore, & aſperitate gutturis, quiduis & proferret, & citra moleſtiam deglutiret: Præſcribo igitur in eum vſum eclegma ex muccagine ſeminũ cotoneorũ, althea & gummi tragacantha elicitæ ex roſarum ſtillaticio liquore melliſq́; roſati, & violati pari pondere; quod vt continuò lambat impero: His adiungo gargariſma ex ſeminibus cotoneorum, althea & cucumeris, floribus roſarum, violarum & verbaſci, atque ex vulgari pulmonaria, ſanicula, & carduo benedicto; quæ poſteaquam in aqua iuſta quantitate pro artis exigentia decocta fuiſſent, & percolata, vncias aliquot oxymellis ſcyllitici adiungi curaui; ſperabam etenim his auxiliis, vt caſus poſtea docuit, breui perſanandum hominem. Nam etſi ſeparationis aqua acris admodum ſit, adeò vt argentum diſſoluat, atque ipſum ab auro ſegreget, obtunditur tamen nonnihil illius acrimonia à parte terreſtri aluminis liquidi, halnitri, & arenæ, quæ ad eius præparationem concurrere certum eſt, nondũ enim per ſublimationem ita rectificata eſt, vt omnem terreſtreitatem exuerit, alioqui non ſecus ac aqua vitæ, quam vocant, facilè arderet: adde quòd quo magis rectificata fuerit, ac quò ſubtilior, eò etiam euadat acrior, at ita tamen vt ſuperficiem tantum cutis erodat: nam ſicuti leuis eſt, & λεπτομερὴς, facilè euaneſcit, neq. admodum penetrat, quod & mulierculis quæ eadem pro pſilothro vtuntur, longo vſu nimiſquam cognitum eſt.

VERMIS PER MEATVM VRINA-*rium eiectus.* X.

PRODIGIOSOS *vermes in hominũ ſinibus gigni quotidiana docet experientia: Siquidem Antonius*

Beni-

Beniuenius libro ſuo De abditis morborum cauſis cap.2. ſcribit vomitu proiectum vermem longitudinis quatuor digitorum, capite rubro, leui, rotundoque, quod piſi magnitudinem non excederet, cætero corpore lanugine quadam contecto, pedibus nixum quatuor, cauda furcata ad ſimilitudinem nouæ lunæ. Præterea cap.77. idem recitat Siculum quendam Antonium nomine, poſtquam longa moleſtaq́ tuſſi laboraſſet, reiecto vnà cum tuſſi verme, ſanitatem recuperaſſe: adde quòd idem auctor annotarit, quendam cùm acuto & intolerabili cephalalgiæ dolore diuexatus eſſet, vi tandem robuſtiore naturæ proiecto è nare verme, palmo longiore, ab omni languore liberum redditũ. Quid quòd Pherecydes Syrus copia ſerpentum è corpore erumpente expirarit? quid quòd Plinius tradat tænias tricenûm pedũ, & plurium aliquando viſas? Quid quòd nos ab annis decem iuuenculam nori- 1556.
mus, quæ reiecto per nares verme millepedi non abſimili, à diuturno capitis dolore reſtituta ſit? quid quòd aliam mulierem ſciamus, quæ quum grauiſſimis vberum doloribus exagitaretur, non antè dolere deſierit, quàm apertis vomicis vtrinque teres vermiculus proſilierit? quid quòd doctiſſimus medicus Doctor Daniel à Bronkhuſen, mihi ſcripſerit non ita dudum mulierem fuiſſe Gorimkomij, quæ per poſticum vermem excreuerit, longitudine vlnæ noſtratis, & quadrantis, craſſitie glandis communis, planum, ac lanuginoſum, capite in modum anguillæ? quid quòd longo interuallo poſtquam hæc conſcripſiſſemus, Scoonhouiæ anno 1584. in muliere ex grauiſſimo ſiniſtri hypochondrij dolore laborante vſu venit? Hæc enim quùm diu multumq́, ſummis diſcruciaretur doloribus, fruſtra adhibitis quibuſuis remediis, ſenſit tandem circa locum affectum tumorem, liuido quodam colore

efflorescen-

efflore ſcentem, abſceſſusq́ ſpeciem præ ſe ferentem: acceerſit igitur chirurgum, qui motum naturæ promouens, quam ocyſſimè ad maturitatem vlcus perduxit; quo rupto ſtatim prodierunt tres vermes magnitudine digiti, quibus exonerata natura, ſtatim coaluit, idq́ opinione citiùs, continui ſolutio. Quid demū magis prodigioſum, magiſue admirandum, quàm quod in Haga Comitum Hollandiæ 17. Calend. Octob. anno à redempto mundo 1564. accidit? Erat capularis ſenex, annos natus, ni fallor, octoginta quatuor; is ſedentariæ vitæ, & otio aſſuetus, craſſioribus delectabatur cereuiſiis, atque iiſdem nonnunquam patrio more ſemet ad ſatietatem vſque reficiebat; verùm vt erat delicatulus, ſi quando aduerſi quid obueniret, afficiebatur illico: quo factum eſt, vt quotieſcunque apud ſuos de ſiniſtra quereretur valetudine, affines parui penderent, exiſtimantes leuiuſculum, aut nullius momenti eſſe quod offenderet. Accidit autem vt ſolito grauius ex vrinæ difficultate laboraret, continüiſque circa pubem diſcruciaretur doloribus, adeò vt quum diutius protraheretur malum, neque quicquam remitteret, propter ætatē omnes de ſalute deſperaſſent, niſi ex inſperato ſanitatis affulſiſſet ſpes; ſub veſperum enim in profundiſſimū ac ſuauiſſimū incidens ſomnum, totam edormiuit noctem, atque inter dormiendū inſcius per vrinarium meatū maximam ſanguinis copiam vnà cum verme reiecit: quo expulſo ab omni dolore, ac ſtranguriæ, quam lotij ſubſtillum vocat Cato, liber euaſit: Erat autem vermis hic erucæ in modum biceps: qui ſi quando contraheretur, longitudine pollicem, aut hirudinem æquabat, ita vt niſi biceps fuiſſet, nonnulli ſanguiſugam eſſe exiſtimaſſent: cæterùm quoties ſeſe explicabat, pedem, & quatuor vncias comprehendebat, (lubet

enim

enim hîc Pliniano more pedem in duodecim vncias diuidere;) præterea maculoſus prorſus erat, punctis quibuſdam ſtriatus, ventre fuluicolore, candicante interſtincto linea; ſuperuixit autem ab eo quo proiectus eſt die, ad longum vſque tempus; ſiquidem nos eundem ſeptimo demum menſe viuentem conſpeximus, ſola nutritum aqua, quam, amphisbenæ in morem, tepidam, nec frigore rigidam (offendebatur enim frigore plurimùm) alternatim vtroque ſugebat ore. Cæterùm vermis hic quamuis in veſica cauitate continebatur, continua ſuctione punctiones, & dolores circa collum eiuſdem concitabat, & vrinæ præcludebat iter. Originem autem trahebat (quantum ego quidem coniicio) ſicuti reliqui lumbrici, à materia craſſa, lenta, & pituitoſa; neque mirum eſt quòd hic potiùs quàm alibi monſtrum hoc procreatum ſit, quando quotidie videamus eos qui ſcabie Hiſpanica, aut morbo Gallico infecti ſunt, vnà cum lotio animalcula formicis ſimilia excernere; adhæc quando veriſimile ſit, ex fæculenta hac, craſſaq́; cereuiſia, qua ſenex ille quotidie veſcebatur, craßißimam vrinam in veſicæ amplitudinẽ delatã, quæ velut limus aquæ, aut vini fæx ſubſiſtens, à calore aduentitio in animal viuũ tranſformatus ſit: adeò rectè Serenus ille Sammonicus cecinit:

Quid non aduerſum miſeris mortalibus addit
Natura? interno quum tænia viſcere ſerpens,
Et lumbricus edax viuant inimica creanti,
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu,
Sæpe etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſasque vias vitæ concludit anhelæ.

natura ſiquidem in concauitatibus inueniens materiam pituitoſam, quam in ſubſtantiam aliti conuertere non poteſt, dum ſuo more ad optima nititur; mediante calore, illam

re, illam diſponit vt vitæ ſpiritum accipiat. ſic Abenzoar, & Azarautus Arabes teſtantur, in pectoralibus, hoc eſt, pulmone & canna, vti vocant, pulmonis, aliquando generari vermes, qui quidem parui ſint, ac muſcis aſſimilentur, pro capacitate enim loci in quo deliteſcunt, & materiæ copia ex qua generantur, veriſimile eſt, eoſdem aut magnos, aut paruos eſſe; ſiquidem non ſimplici vitâ viuunt vermes, ſed & mouentur, & nutriuntur, & creſcunt.

DE QVODAM QVI AD MVLTAM *vſq. ætatem vixit, non apparente manifeſto arteriarum motu.* XI.

NOVVM *non eſt laqueo conſtrictis infra hume-*
ros brachijs pulſum intercipi; id nanque Galenus
libro ſexto De Hippocratis & Platonis placitis, teſtatum
reliquit, vbi ſic habet: Eadem natura in arterijs cernitur;
nam etiam ipſæ perinde ac nerui, aut inciſæ, aut laqueo
intercluſæ, pulſu omni, micationeq́; orbantur: at toto
vitæ decurſu, adeò eſſe obſcurũ, aut obtuſum (aut vtut
vocare libuerit, interceptum enim dicere mihi religio eſt)
vt tactu percipi non poſſit, nouum & admiratione di-
1550. *gnum eſt; quod tamen annis ab hinc viginti, Furnis ci-*
uitate Flandriæ in pluſquam ſexagenario ſene non ſe-
mel mihi obſeruaſſe contigit: Is enim quum à retroactis
annis aliquot frequenter varijs, atque iis non infimi no-
minis medicis carpum obtrũſiſſet, vt experirentur ſi qua
tandem ratione motum aliquem arteriarum percipere
poſſent, ſinguliſq́; negantibus ſubſultationem aliquam
ſentiri: tandem ætate prouectus iam, & ſexagenario, vt
dixi, maior, inter epulas manum mihi porrigit, ac rogat,
vt ex arteriarum motu, aliquid quod ad præſentem cor-

poris

poris conſtitutionem pertineret, in medium afferrem. detrectanti primùm mihi, quòd non eſſet eius temporis, atque loci; perſuaſit tamen ille, quum vrgeret vehementiùs. Indecens enim cenſebam, ſi eius caniciei tantulum non conceſſiſſem. Quum igitur diligentiùs pertento, nihil minus quàm micationem aliquam quæ tali conueniret corpori, percepi (erat etenim pectore lato, & vtcunque hirſuto, facie rubicunda, ad iram ſic ſatis procliui animo, corpore bene habito & carnoſo, atque ad omnes actiones obeundas pro ætate ſatis prompto) imaginabar tamen leuem quandam diaſtolen, non ſecus ac ſi perreptantis arteriam vermis ſpecies repræſentaretur, cuiuſmodi pulſum vermicularem appellare conſueuerunt: Quum interim ille intentis in me oculis reſponſum expectaret, meq́ meditabundum conſpiceret, ſubridens, Nihil, inquit, ô Balduine eſt quod hæſites, motum nullum percipis, atque id mihi à teneris vſque familiare, & quaſi annatum fuiſſe ſcias velim, quod & ante te multi tuæ profeſſionis viri tecum experti ſunt. Hîc ego magis mirabundus, atque rei nouitate attonito ſimilis: Atqui, inquam, ô Iacobe, quando ſic eſſe aſſeris, id ſaltem mihi concedas quæſo, vt ſemel adhuc per occaſionem, idq́ ex improuiſo liceat carpum tuum tangere; ſiquidem niſi ætas tua, & veneratione digni cani tui obſtarent, putarem omnino te dolo mecum agere, & de induſtria antè reuincto brachio arteriarum motum præpediuiſſe, atque intercepiſſe: neque enim veriſimile eſt, tibi viro bene valenti, & corporis conſtitutione calida prædito, atque virium robore pollenti, tam paruum debilemq́ eſſe pulſum: Siquidem Galenus noſter eos qui virium robore excellunt, magnum habere pulſum docet; & è diuerſo, qui imbecillis ſunt viribus, paruũ: adde quòd quum magnam

reſpirationem habeas, pulſus etiam neceſſariò magnus eſſe debebat; ſolet nanque pulſuum ſimilitudo cum reſpiratione ſeruari. Igitur quando ille conditionẽ admiſiſſet, liberumq́ feciſſet quoties liberet periculum facere, nactus occaſionem, ipſum adeo, atque carpum, quemadmodum ante me feciſſe narraui, attracto; verùm fruſtra ſubſultum arteriæ inueſtigo: nam neque hic, neque vſquã alibi pulſus vlla veſtigia apparebant, ſed & vermiculationem illam quam antea imaginatus fueram, nulla ratione percipere potui: Admiratus caſum, excutiendum cenſui quomodo fieri poſſet, vt in tali, tam vegeto, beneq́ habito corpore, obſcurus vſqueadeo eſſet pulſus; atque inter reliqua ea probabilior cauſa eſſe videbatur, quæ dictabat arterias altè deliteſcentes adeò occultari, vt motum earundem quantumuis exacto digitorum examine percipere non liceret: Arteriarum etenim quæ excarnes corporis particulas perreptant, motum promptius meliusq́ percipimus, quæque carnoſis ſubſunt obſcurius, ob quod medici inter omnes arterias nullam aut commodiorem, aut congruentiorem cenſuerunt, quàm quæ per brachiale excurrunt.

DE QVODAM QVI EX EBRIETATE *aphonus conuulſus mortuus eſt.* XII.

DOLENDVM *me hercule, mi Ioannes, eſt, in optimè alioqui inſtitutis rebuſpub. conſuetos aliquos abuſus, qui ſicuti ſunt ab omni ratione alieni, ita non citra ſummam Reip. iacturam tolerari poßint, à ſummis interdum viris mordicus tueri: cuius generis is eſt in veſtra Repub., quemadmodum ſæpius me narrantem audiſti, quem contra artis noſtræ decôrum in inſpiciendis iis qui ex vulnere occubuerunt, longa annorum*

ſerie

ſerie obſeruatum audio. Siquidem quantumuis hîc, ac aliis omnibus locis fieri conſtat, vt vnà cũ prætore ſenatorum collegium conueniat, atque multis ex more præmiſſis cerimoniis, accitum antè chirurgum interrogãt, num humana vi, aut manu (vt vſitata loquendi formula vtar) diem clauſerit ſaucius, chirurgus præter artis noſtræ decôrum, aut dignitatem, non habita ratione loci affecti, aut ipſius vulneris, retecto leuiter corpore, plagam quantumuis leuem conſpicatus; non veretur de inſontis nonnunquam capite tanquam ex tripode ſententiam proferre, ac ritè cõceptis verbis dicere, caſum haudquaquam moriturum fuiſſe, niſi inflicta plaga. Quid hoc quæſo? numne hoc eſt pro artis vſu reſpondiſſe? numne hoc eſt quæ per ſe ſunt ab iis quæ per accidens eueniunt diſtinxiſſe? quid, num hoc eſt ad interrogata reſpondiſſe? quid hoc aliud eſt, quàm de alliis loquenti de cæpis reſpondere? quid ſi ex leui ſimpliciq́ue vulnere confertim manante ſanguine in animi deliquium incidens, ac tandem moriens offeratur, numne hunc ex vulnere mortuum dices, quum non ſubſequuturum fuiſſet ſanguinis profluuium, aut animi deliquium, niſi ſauciato corpore? numne rationem potiùs ipſius vulneris (quod collatione vulnerum inter ſe habita, videndum erat an ſimplex, an compoſitum, an neceſſariò & ſemper, an vtplurimum mortem inferens, an non lethale dicendum eſſet) quàm accidentis habere debueras? Quid quòd etſi Hippocrates noſter dicat vulnera cerebri lethalia eſſe, vt vnum multorum loco ponam exemplum, Galenus tamen ſic vulnera cerebri diſtinguere doceat, vt nonnulla ſemper & neceſſariò, lethalia dicat, alia non ſemper neque neceſſariò, quando ſe multos vidiſſe dicat qui ex cerebri vulnere conualuiſſent? Accedit quòd quoties prætor, aut quiſquis

 tandem

tandem is ſit, qui ritè conceptis verbis rogat num huma-na vi, aut manu enectus ſit homo, meo quidem indicio, de eâ tantũ vi percontari videatur, quæ neceſſariò & ſemper mortem inferat; nam alioqui ſi ad inopinatos euentus, aut qui caſu aliquo incidunt, referendum cenſuerimus, nullum erit tam exiguum, aut leue vulnus, quod non aliquando mortis cauſſa eſſe poſſit, adeò incertum ac fragile nimirum eſt hoc munus naturæ (vt Plinij verbis vtar) quicquid datur nobis: Anacreon enim poëta acino vuæ paſſæ ſtrangulatus eſt: Fabius ſenator prætor in lactis hauſtu, vno pilo ſuffocatus fertur. quæ quidem etſi fortuito caſu ita euenerint, tamẽ ſi per ſe expendantur, ad inferendam mortem parum momenti habere comperiemus, quando citra vllum ſtrangulationis periculum videamus vuas paſſas integras, atque bis maiora deuorari, atque acus integras deglutiri citra vllum vitæ diſcrimen, citraq; noxam reiici per excrementa. Alexander enim Benedictus ſcribit mulierem Venetam acum crinalem qua capillorum cirrhi intorquentur quatuordigitorum longitudine, quam obdormiſcens in ore detentam deglutiuerat, decimo tandem menſe eminxiſſe. Boni igitur diligentisq; chirurgi officium eſt ſingula priùs ſedulò excutere, atque examinare, antequam certi aliquid pronunciet: habet enim ars noſtra limites quoſdã, quos vltra, citraque nequit conſiſtere; habet ſuos ab Hippocrate traditos aphoriſmos, ad quos, (quum omnia in iis quæ ad artis vſum requiruntur breuiter expoſuit) medicum actiones ſuas dirigere oportet: in quibus quando nihil intactum reliquerit Hippocrates, lethalia etiam vulnera à non lethalibus diſtinxit, quum dicit, Veſica diſſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo; aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut iecinore

nore, lethale eſt. Quod ſi ita ſit, & ſi omnia non ſolùm quæ neceſſariò, ſed etiam quæ vtplurimum mortem inferunt, vulnera recenſuit, vt latiſſimè in eiuſdem enarratione explicat Galenus; qua tandem ratione, qua fronte, qua audacia audebit, aut chirurgus, aut medicus alia vulnera, niſi magnitudine, aut alia inſigni nota excedant, lethalia appellare? Nam ſi Pythagorici illi in diſputando quoties quid affirmarent, rogati quare ita eſſet, reſponderunt αὐτὸς ἔφα; *ac ſi piaculum eſſet de illis dubitare quæ Pythagoras enunciaſſet: ſi Stoici* δόγματα *quædam certa, hoc eſt decreta habebant, à quibus diſcedere religio quodammodo erat: ſi demũ matheſeos profeſſores demonſtrationes quaſdam geometricas, (quas* ἀποδείξεις *nominant) tanquam artis ſuæ fundamenta habeant; cur nos Hippocratis noſtri axiomatibus non ſubſcribemus? atque iiſdem tanquam oraculo cuidam audientes erimus? præſertim quando is non ſolùm viam quandam ad medicationem, verùm etiam totam artem aphoriſtica quadã breuitate complexus ſit. Si quis enim eiuſdem aphoriſmos diligentiùs aliquanto examinet, longè plus myſterij in iiſdem comperiet, quàm aut in Stoicorum decretis, aut Pythagoræ placitis, aut mathematicorum demonſtrationibus: Siquidem, bone deus! quæ illic verborum grauitas, quæ ſententiarum varietas, quando ſingulis verbis ſuæ non deſint ſententiæ! verùm ne longiùs diuager, ad rem redeo. Dixi igitur requirere me heic in chirurgis diligentiorem animaduerſionẽ atque exactius aliquanto iudicium, quoties ad inſpiciendos ex more caſos aduocantur: nam quòd inſontes nonnunquam capitis reos pronunciant, exemplo vno recenti hominum memoria hic ſatis cognito demonſtrabo. Erat quidam qui ad crapulam vſque ſeſe vino ingurgitare ſolitus,*

litus, mero plenus interdum in ἀφωνίαν incidens, hora tamen qua ſolui ſolent crapulæ, ad ſe rediit, atque loquebatur. Hic igitur quum ex conſuetudine bibiſſet, ac quartum poculum, quod dementiæ nonnulli vocant, deguſtaſſet, omnis rationis impos, cœpit neſcio quid cum aſſidentium vno altercari, adeò vt ingraueſcentibus verbis, ad cultros res deueniret: atque hic bonus vir accepto vulnuſculo, in altero oculi ſinu, quòd tamen non penetraret, profuſo plurimo ſanguine, ſicut erat pleno corpore, obmutuerit ſtatim, atque ni quid me fallit memoria, poſtridie eius diei vitam morte commutarit. Acciti ex conſuetudine chirurgi, quanquam me dicentem audiſſent, nullam hîc ſubeſſe lethalis vulneris notam, quando non tam ad vulnus, quàm ad conuulſionem ex repletione ortam mortis origo referenda eſſet; non erubuerunt inſontem ſententia capitis, præter ius & æquum grauare, atque lata ſententia dicere, ſaucium ex vulnere mortuum. Id ego eis aliquo modo condonandum exiſtimaſſem, quòd ſubitus hic conuulſiuus caſus ſpeciem quandam lethalis vulneris præ ſe ferre videretur, niſi me Hippocraticum aphoriſmum recitantem, & explanantem, homines quos craſſo Bœotum in aëre natos diceres, iam antè audiſſent: quem quidem aphoriſmum, vt reliqui mecum intelligant, quàm craſſe impingant tetrici iſti
» *areopagitæ, aſſcribere libuit; habet autem ſic. Si ebrius*
» *quiſpiam de repente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi*
» *febris corripiat, aut ad eam perueniens horam qua crapulæ ſoluuntur, loquatur. Quid quæſo hoc dici potuit clarius aut manifeſtius? nónne reum ex artis vſu abſoluiſſe debebant? idq́ eô potiſſimùm, quòd iam antè, vt diximus, in aphoniam ex vini immoderato vſu non ſemel incidiſſet? Si quidem veriſimile omnino fuit; tan-*

tam vini copiam ab eodem abſorptam fuiſſe, vt abolito calore naturali conuulſioni corpus præpararit, quæ præſentiſsimam attulerit mortem: nam quòd vinum id efficiat, docet Galenus libro ſecundo De morborum cauſſis, in hunc modum ſcribens. Quamuis vinum ſi modicè „ *ſumatur, intimum calorem augere poßit, quòd ſcilicet* „ *ſit alimentum maximè familiare, tamen immoderatius* „ *ingeſtum frigidos morbos excitat; nam & cari, & apo-* „ *plexiæ, & conuulſiones immodicum vini potum comi-* „ *tari ſolent. Cognoſcis iã opinor hoc vno exemplo edoctus, quàm fœdo errore abuſus hic hactenus nõ dico toleratus, ſed obſeruatus fuerit: vides quàm parũ appoſitè propoſitæ quæſtioni reſpondeant chirurgi; quos vnicè rogo, atque obteſtor, vt deinceps diligentius quæſita perpendant; ita fiet, vt ſumma cũ laude, atq. omnium applauſu, dubiis interdum rebus ex inſperato ſecuritatem afferant.*

MVLIER PROVECTÆ ÆTATIS MVLtos annos febre tertiana laborans. XIII.

SCRIBIS *te non ita dudum à diſceſſu meo in Aulam Illuſtriß. Principis Erici Brunſuicenſium, & Luneburgenſium Ducis, inter alia quæ admirari ſubuenit, hoc pro ſummo habere miraculo, quòd quum febres omnes certa dierum periodo (demptis quartanis, quas tamen nonnunquam ſtatis diebus iudicari contingit) ſoleant ſolui, iſthic honeſtam eſſe matronam annos iam natam ſexaginta, aut paulo minus, quæ tertiana febre ad annos triginta detenta ſit, ita tamen vt quum infebricitationis tempore ſingula munia obire & exequi poßit, de tertio in tertium certa atque ſtatuta hora horrere leuiter incipiat, cum quadam pandiculatione, vt vocant, quam poſt tres horas leuis excipiat ſudor, cum non ad-*

 modum

modum acri calore. Atque ideò potiſsimum mirandum aſſeris, quòd in tam prouecta ætate, tantum bilioſæ materiæ reliquum haudquaquam exiſtimes, vt talem, ac tam diuturnam febrem poſsit accendere: verùm, mi Philiatre, vt & ego quod res eſt fatear, ab annis ſeptemdecim quum primum iſthuc Magiſtratus veſtri literis accitus appuliſſem, in eodem luto hærens, expendebam mecum qui fieri poſſet, vt in id tempus febris præſertim tertiana hominem detinere poſſet: Nam quantumuis Hippocrates noſter diceret, morbos alios certo dierum numero iudicari, alios contrà ſtatis hebdomadarũ aut menſium, aut annorum circuitibus ſolui conſueuiſſe, mihi tamen vix perſuaderi poſſe, morbum aliquem dari poſſe cuius acceſsio bilis prædominium ſequeretur, qui in annos aliquot prorogaretur. Quum igitur variis modis hæc meipſum torſiſſem, ac diu multumq; cauſſam perſcrutatus eſſem, non potui aliam inuenire rationem, quàm quòd aut à priore acceſsione neceſſum eſſet materiam aliquam relinqui, quæ aut propter copiam, aut malitiem per ſudores, aut alias reſolui non poſſet, aut quòd per victus intemperantiã morbo ſemper noua materia ſuppe-
,, ditaretur: notus eſt enim Hippocratis aphoriſmus, nõ pu-
,, ra corpora quo plus nutries, eò magis lædes: cui ſubſcribens Galenus in commento primi Epidemiωn dicit, quicunque ægroti non ſunt affectione morboſa omnino liberati, ſed ſemen aliquod retinuerunt, his vſu venit ad victum negligentioribus, ſæpe ſexto die à principio febricitare, ſæpe ſeptimo, non rarò octauo, ſæpenumerò alio, & cùm febris ceſſauerit, putantibus ſe prorſus eſſe liberatos, eodem omnino victu vtentibus, ex ſemine morbi reliquo totidem diebus in eandem affectionem deuenientibus ſimiliter febricitare. Verùm hæc etſi prima fronte

aliquò modo placuiſſent, nondum tamen ſatiſfacere potuerunt, vt quæ etiamſi quàm maximè ita accidiſſent, tanto annorum curriculo opus non habuiſſent; verùm veriſimile omnino eſſe primo ſeptennio, cum morbo materiam diſſolutum iri; habet enim neſcio quid reconditæ energiæ ſeptenarius ille numerus quemadmodum noſti, adeò vt in corpus noſtrum manifeſtè agere ſoleat: videmus enim ſingulis ſeptenniis fere, viciſſitudines quaſdam rerum fieri, aliis nouam indolem, aliis nouos mores quodammodo induentibus, atque aliis diuerſis morbis periclitantibus, vnde veteres illi annum climactericum, qui ex nouies reuoluto ſeptenario numero reſultabat, nō immeritò formidabant, quippe qui non rarò ſine vitæ aut fortunarum periculo tranſmitti ſoleat: Vnde Auguſtus Caium nepotem lætum natalem diem ſuum celebrare iubebat, quòd annum omnibus ſenibus periculoſiſſimum euaſerat. Sed vt eò vnde digreſſa eſt, redeat oratio, quum hæc non ſatis arriderent, quando materiæ peccantis motus, vt iam antè dixi, prædominium bilis oſtenderet, venit in mentem, quòd Hippocrates reprehendens eos, qui comitialem morbū diuinum appellarent, tertianis, quartanis, quotidianis aliiſq; circuitum facientibus febribus; non minus diuinitatis quàm ſacro morbo ineſſe diceret, morbum diuinitati cuidam, (vt ſolent inexperti) aſſcribere omnino erat animus, quòd nimirum in tam longum protraheretur tempus, atque rationis metas quodammodo excederet. Verùm quando id indignum eo cenſerem, qui in phyſicis vtcunq. verſatus eſſet, placuit altius nonnihil rem indagari, atq. iam ante dictas cauſſas exactiùs excutere. Igitur quum hinc inde mali originem expiſcor, inter reliquas ea probabilior ratio videbatur, quæ, vt ante dictum eſt, diceret à priore acceſſione in minimis, aut ex-

timis

timis conceptaculis,ſeu venis,aut alioqui extra ipſa vaſa materiam aliquam relinqui, quæ nouæ acceßionis cauſſa ſit:certum enim eſt,quemadmodum Alexander Aphrodiſæus docet,pro conceptaculorum amplitudine, morbos aut citò,aut tardè finiri. Nam ſi in amplis conceptaculis,hoc eſt venis,& arteriis, (inquit) flaua putreſcat bilis,quoniam calida eſt, febrem accendit ardentem, acutam,breuem,quæ καῦσος vocata eſt:at ſi eadem in paruis conceptaculis putret, febrem creat breuem, diuturniorem tamen quàm cauſos ſit, quam tertianam nominamus. Quando igitur morbus hic tanto annorum curriculo acceßiones ſuas de tertio in tertium fecerit, credendum eſſe non ſimplicẽ bilem eſſe febris ipſius cauſſam, ſed aut ex phlegmate aduſto bili commixto, aut alio ſimili in extimis venis relicto,cui fomitem præbeat quotidiana victus ratio,atque ipſa ætas, cauſari malum. Nam quòd pituita tam bili flauæ, quàm atræ commiſceatur, argumento eſſe ſemitertianas, tertianas nõ puras, quintanas,ſeptanas, nonanasq́ febres, quas pro ipſius phlegmatis cum atra bile commiſtione variare acceßiones quidam aſſerunt,ita vt ſi phlegma ſimplex atræ bili vnitum, ac in naturam eiuſdem conuerſum ſit, quintanam aut ſextanam dictam febrem,ſalſum ſeptanam,vitreum vt tenaciſsimum,ac ſicciſſimũ, nonanam, vel duodenam dictam febrem faciat: Atque hac ratione ſicuti ſimplex pituita ſalſa tenuior eſt, ac naturæ familiarior, ſic quoque febres ex eadem cauſata breuiores ſunt, quàm quæ vitreum phlegma ſequuntur. Hinc Hippocrates quintanas ſeptanis breuiores eſſe dicit, omniumq́ longißimas nonanas. Ac proinde quoniam morbus hic tam diu duraret, veriſimile eſſe portionem aliquam bilis in extimis venis relictam eſſe, aut extra vaſa alioqui pulſam, cui

aliquid ſalſi phlegmatis, aut hoc tenacioris commixtum ſit,quod vt à calore naturali imbecillo in corpore effeto euinci non poteſt,ita nouæ acceſsioni humorem aliquem accedere neceſſe eſt, natura ipſa,atque ætate materiam ſubminiſtrantibus.

PVER PER PENEM EXCREMEN-*ta reiiciens.* XIIII.

VTERVM *in mulieribus, aut à natiuitate,aut ab aliquo accidente obturari nouum non eſt,quando id Aëtio Amideno,& Paulo ex Ægina medico auctoribus trifariam accidere ſoleat; quibuſdam enim, vt inquiunt,in ipſis pudendi alis,aut labiis membrana,aut caro obturans enaſcitur, aliis ipſo pudendi ſinu idem contingit, aliis circa vteri oſculum eadem obturatio fieri conſueuit: Albucas etiam in ipſis lateribus eandem fieri auctor eſt, atque vitium alraticam vocat, alij matricis clauſuram appellant, Græci eo vitio laborantes ἀτρήτας hoc eſt,imperforatas dicunt. facilior curatio eius eſt, ſi labiis aut ori vuluæ ſuperpoſita membrana ſit; nam hæc citra vllam difficultatem ex præſcripto Celſi duabus inter ſe tranſuerſis lineis ad χ Græcæ literæ ſimilitudinem curatur; quod anno ſalutis 1566. in puella trima fœlici cum ſucceſſu experti ſumus. Sed neque nouum eſt in maſculis à natiuitate aut ipſum penis glandem,aut præputium non eſſe perforatum, illud ὑποσπαδιαῖον,hoc φύμωσιν appellant. Poſtremum in adoleſcente viginti plus minus annos nato, anno ni fallor 1559. Goudæ curauimus, inciſione recta linea à ſumma ora cutis vſque ad frenum facta. Neque inſolens eſt pueros tenui pellicula ano obducta naſci, quæ niſi ſtatim opera obſtetricis,aut alterius præſcindatur; periculum eſt ne retentis excre-*

mentis,

mentis, puſio tandem ſuffocetur. Cæterùm quod anno Domini 1583. menſe Aprili videre contigit, etſi cum poſtremo communionem aliquam habere videatur, tamen ab eodem quam longiſſimè diſſitum eſt, & prorſus monſtroſum. Erat in Bercau pago à ciuitate Goudana miliari diſſito, mulier quæ prolem maſculini ſexus cætera perfectam, & omnibus modis abſolutam enixa eſt; anum tamen imperforatum habebat, atque ita imperforatum, vt non ſimplex pellicula, aut caro eidem obducta videretur, quo excrementa per inſolitum meatum, hoc eſt, per penem, aut ſola per ſe, aut vnà cum lotio excernerentur, totosq́; dies vndecim, hoc eſt, tantiſper dum infans animam exhalaret, ita continuaret: neque hic veriſimile fuit manuali actione aliquid promotum iri, quando via inſolita, & inuſitato canale ſeſe excrementis exonerarit natura. Vale Goudæ. 8. Martij.

CVR ÆGRIS REMEDIA PRÆSTANtes præcinere dicantur.

Ad Eugenium Peerboom. XV.

QVANQVAM *Alcibiades ille Athenienſis, ſicuti in vita eiuſdem meminit Plutarchus; vbi ad artes diſcendas ſe contuliſſet, in omnibus morigerum præceptoribus ſuis ſe præbuerit, tibia tantum canere noluerit, illiberalem eam, & ingenuo indignam artem indicans; nam plectrum quidem, & lyram de figura & forma quæ liberalem hominem deceret, nihil diminuere, fiſtulam autem inflantis vix etiam à familiaribus faciem dignoſci: & quamuis in Dipnoſophiſtis dicat Athenæus,* λόγος μὲν παλαιός, ὡς ὅτι

ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν
ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὡ νόος ἐκπέταται.

Vide-

Videmus tamen fato quodam maius quid tibiarum concentui ineſſe, quàm aliis inſtrumentis, quæ aut ſpiritu, aut plectro, aut tactu fiunt: videtur ſiquidem neſcio quid non tantùm commune cum voce humana habere, ſed & cum corpore, atque adeo ipſo etiam animo: nam (quemadmodum libro Problematum auctor eſt Ariſtoteles) ſicuti cantilena quæ ad tibiam fit, multo eſt ſuauior ea, quæ ad lyram, vel aliud quoduis inſtrumentum ob ſimilitudinẽ, quam ad ſe mutuo habent (fiunt enim vtraque ex ſpiritu) & cognatione ſua errores qui in cantando committuntur occultat, & quodammodo emendat: ita etiam corporis vitia non ſecus ac animi ſuo modulamine pellere ſolet, atque iiſdem pro tempore mederi. Nam & ſomnos dat, & adimit, curas immittit atque retrahit; iram ſuggerit, & clementiam ſuadet; triſtes reficit, & diſſolutos coërcet: ſolent ſiquidem veteres illi pro affectuum ratione tibiarum incentiones variare: vtuntur enim (inquit Cœlius ille Methodicus Siccenſis) decantationibus tibiarum varia modulatione, quarum alteram phrygiam vocant, quæ ſit iocunda, & excitabilis eorum qui ex mœſtitudine in furore noſcuntur. Aliam diram, quæ vel occupata mente pudorẽ ſuadeat iniecto rigore, vt in bello, quam dorion appellant, in his qui riſu, vel puerilibus cachinnis afficiuntur, quum cantilenæ ſonus caput impleat. Sic Pythagoras ebrium adoleſcentem ſub phrygij modi ſono incitatum, ſpondei incentu reddidit mitiorem, ſuiq́; ipſius compotem. Nam quum ſcortum matronali domo eſſet incluſum, ait Boëtius, atque ille furens domum vellet amburere; quumq́; Pythagoras, vt ei mos nocturnus, ſtellarum curſus inſpiceret, vbi intellexit ſono phrygij incitatum, multis amicorum monitionibus noluiſſe deſiſtere, mutare modum præcepit,

*præcepit, atque furentis adoleſcentis animum ad ſtatum
mentis pacatiſſimum temperauit. Aulus etiam Gellius
Noctium atticarum libro quarto cap. 13. ad varias affe-
» ctiones tibiarum incentiones vtiles eſſe dicit. Creditum
» hoc, inquit, à pleriſq; eſt, & memoriæ mandatũ: Iſchia-
» dici quum maximè doleant, tum ſi modulis leuibus ti-
» bicen incinat, minui dolores. Ego nuperrimè in libro
Theophraſti ſcriptum inueni, viperarum morſibus tibici-
nem ſcitè, modulatéque adhibitum mederi. Refert &
Democritus libro qui inſcribitur περὶ λοιμῶν ἢ λογικῶν
χακῶν, in quo docet plurimis hominum morſibus medi-
cinam fuiſſe incentiones tibiarum. Et Iſmenias Thebanus
plurimos Bœoticorum iſchiade laborantes tibiæ ſono in-
columitati reſtituiſſe fertur: non eſt etenim aliquid in
vniuerſo, quod mentes hominum magis alliciat, mo-
ueatque, quàm muſica: nam quantumuis ſit barbarus,
quantumuis durus, aut rigidus, nõ poteſt nõ muſico ſono
emolliri, atq. capi. quod & ſacrarum literarũ teſtimonio
comprobari poteſt: videntes ſiquidẽ Iſraëlitæ quòd ſpiri-
tus nequam exagitaret Saul regem Iſraël, dixerunt ad
regem: Ecce ſpiritus Domini malus exagitat te; Iubeat,
quæſo, dominus noſter rex, & ſerui tui qui coram te
ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt
quando arripiat te ſpiritus Domini malus, pſallat manu
ſua, & leuius feras. Hinc, ſicuti ego ſuſpicor, eſt quòd
ægris remedia præſtantes, præcinere dicantur: fruſtra
enim melancholicis conuenientia alioqui obtuleris phar-
maca, ni ſuaui tibiarum concentu, & ſymphonia, effre-
nem alioqui, & vagam, neque ſibi ſatis cõſtantem men-
tem cohibueris, & ad ſeſe quodammodo reduxeris: ani-
ma ſiquidem illa ex qua formatur vniuerſitas, ex muſi-
ca originem ſumpſit, vt auctor eſt Macrobius. Verùm cur*

coxendicum

coxendicum doloribus potiùs quàm aliis mederi dicat Gellius, non video; niſi concedamus, aut analogiam quandam eſſe tibiæ cum oſſe coxendicis; quo fiat, vt vel ex profundo corporis peccantes humores ſono tibiæ elicianstur; aut ni dicamus modulamine illo ægrum adeò oblectari, vt doloris prorſus immemor reddatur, atque in enthuſiaſmum quendam rapiatur. Sed neque minori indagine perquirendum eſſe cenſeo, quod aduerſus viperarum hominumq; morſus adhiberi dicat: nam etſi quam maximè dolorem ſedet, venenū certè eximere, aut euocare nequaquam poterit, niſi ſpiritum illum quem emittimus dum tibias inflamus, ex ſaliua vim quandam aduerſus venena habere, atque eundem cum vulnere analogum prorſus eſſe dicamus: ineſt ſiquidem omnibus hominibus, vt auctor eſt Plinius, de ſaliua humana loquens, aduerſus ſerpentes venenum. Aut ni dicamus morſos diuerſe torqueri, atque alios ſaltare, alios ridere, alios clamare &c. pro hominis affecti temperamento, aut vario ipſius feræ mordentis veneno: ac proinde ſaltantes hos aut ridentes incentu tibiæ accendi quodāmodo, & quaſi in enthuſiaſmum, vt diximus, rapi, & concitatiùs iam ſaltare, atque ita ſenſim corporis illa immodica agitatione virus ipſum per ſudores, & cutis poros inſenſibiliter diſcuti. Siquidem & hodie videmus in Tarāto Apuliæ vrbe, aranei genus eſſe quod tarantulam vocant, à quo icti variè afficiuntur: alij enim plorant, alij rident, alij lugent, alij clamitant, alij ſaltant, alij dormiunt, alij vigilant, qui ſolo tibiarum aut aliorum inſtrumentorum muſicorum ſono demulcentur, atque ſanantur. Siquidem, vt ait Andreas Mathiolus Senenſis, ictos ego vidi nonnunquam in plateis iacentes, & in Xenodochiis, qui prædictis affectibus torquerētur: Sed mirum certè quàm

facilè huiuſce veneni vis muſica mulceatur; quandoquidem (vt ego quidem atteſtari poſſum) auditis lyricis inſtrumentis, vel tibiarum ſono, primo ſtatim occurſu icti à tarantula, à languoribus ceſſant, & in medium tripudiare, & ſaltare incipiunt, tamque diu rem proſequuntur, ac ſi ſani eſſent, & nullo vnquam tenerentur dolore: quod ſi eueniat vt tibicines tantillum conquieſcant, ac interponant, non multo pòſt tempore in terram concidunt, & ad priſtinos redeunt languores, niſi tam diu indeficiente ſonitu ſaliant, atque tripudient; donec veneni virus partim inſenſibiliter per cutis meatus, partim per ſudorem exeat, & diſcutiatur. Ob id igitur tibicines ſtipendio cõducuntur, alternatimq́; mutantur, vt abſque vlla ſonitus intermiſſione tam diu tripudient demorſi, quouſque penitus curati quieſcant. Tu igitur, mi Eugeni, in inſtituto diſciplinæ genere temet exercere pergito, atque Alcibiadis illa ſeuera nimis poſt tergum relicta cenſura, tibiarum incentionibus, dum res exigit, laborantibus medere.

VNDE NATVM SIT ADAGIVM Quid cani & balneo? *ad Henricum Iunium.* XVI.

MIRVM *prorſus eſt, mi Iuni, ter maximum illum Eraſmum in eruenda alioqui adagiorum origine diligentem, in enarratione prouerbij,* quid cani & balneo commune eſt? *præter eiuſdem vſum, nihil quod ad eiuſdem explicationem faciat in medium protuliſſe, quũ Aëtius noſter Amidenus tetrab. 2. ſermon. 2. cap. 25. luculentiſſimè vnde nata ſit parœmia, deſcribat: cuius verba à Ioanne Cornario Latinè reddita, quoniam ad adagionis intelligentiam plurimum conferunt, etſi*

eadem tibimet ſubminiſtrare poßis, non grauabor aſcribere. Omnes, inquit, qui à rabioſo cane morſi ſunt, ſi neglecti fuerint, aut malè curati, in affectionem incidunt timoris aquæ; & hoc maximè patiuntur, qui vitioſis humoribus repleti ſunt, vnde quidam ſtatim vbi commorſi ſunt, aquam, & alios liquòres timent, alij poſt quadraginta dies, alij poſt longius tempus: contingit autem ipſis grauior perturbatio, quum aquam aut aliud quoddam pellucidum ſpeculum viderint. Aſpiciunt enim faciem ſuam rubicundam, ac toruè tuentem, aut ira plenam. Fieri autem poteſt, vt quemadmodum aliqui dicunt, etiam canis à quo morſi ſunt imaginem in aquis apparere imaginentur, recordati autem formæ canis confeſtim ab immodico timore corripiuntur: hoc verò patiuntur ob immodicam ſiccitatem. Nam Philoſophus quidam morſus à rabioſo cane, & generoſo animo afflictioni reſiſtens, & in conſequens ratus canem in balneo apparere, apparebat enim ipſi, quemadmodū etiam aliis hoc modo affectis. Ratiocinatus igitur, & ſic ſecum locutus, quid cani, & balneo commune eſt? ſuperauit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, vbi citra timorem bibiſſet. Hæc Aëtius: fœliciorem me Hercules philoſophus hic cum parœmia ſua euentum ſortitus eſt, quàm aut Ancæus ille, aut Cumani, aut ſerò ſapientes Phryges. Atque hinc puto conſuetum eſſe in Flandria, atque aliis Oceano vicinis locis morſos tam homines quàm animalia à cane rabioſo, ſtatim maris vorticibus ter immergere; hac enim ratione multiplici apud illos experimento, omnem hydrophobiæ metum, ac ſuſpicionem aboleri.

DE DECIDVO INFANTIS VMBILICO, *ad D. Martinum Scipperum medicum Traiect.* XVII.

VIDE *amabo, mi Martine, quàm nihil in humano hoc corpuſculo fruſtra, temeréue à natura creatum ſit, quando & excrementa ipſa ſuis non careant remediis; ſaliuam etenim humanam ad lichenas præſentiſsimum eſſe remedium produnt, atq. tota etiam ſubſtantia aduerſam eſſe beſtiis hominem interficientibus: ineſt ſiquidem omnibus hominibus, vt auctor eſt Plinius, contra ſerpentes venenum, feruntq́ ictas ſaliua, vt feruentis aquæ contactu, fugere; quod ſi in fauces penetrauerit, etiam mori, maximè humani ieiuni oris: præterea prodeſſe dicũt, ſi incipientes furunculi ter præſignentur ieiuni ſaliua. Sordes autem aurium ad paronychia maximè cenſentur vtiles, eaſdemq́ ad morſus hominis alioqui maximè pernicioſos commendant alij. Sed nec capillus ſua deeſt vtilitas: nam puerorum capillus qui primùm deciſus eſt, podagræ impetus leuare fertur: adhæc ſuffitu propriorum crinium exuſtorum, preſſas ſuffocatione ab vtero liberari, certiſsimo & quotidiano experimento conſtat. Quid de ipſo humano ſtercore dicam; quod quamuis Galenus noſter ob fœtorem abominandum dicat, ſuo tamen non caret elogio? faucibus ſiquidem inflammatis pueri ſtercus exiccatum cum attico melle mixtum, non citra maximum commodum applicari aſſerunt. Sed & vrina hominis ad plurima conueniens eſt, vim habens abſtergendi, vnde ad ſcabies, & lepras atque vlcera ſordida adhiberi ſolet, quin & introò ſumptam ſumentes à peſte aſſerere nonnulli affirmant. Adeo nihil eſt in hoc humano corpuſculo tam vile, tam abiectum,*

abiectū,quod nō alicuius vſus eſſe poſſit:quod & ego tandem comperi. Siquidem ab hinc ſedecim aut eo amplius 1549.
annis quo Furnis publico ſtipendio medicū agerem,vxorcula ex partu decumbente, venit ad me obſtetrix ac neſcio quid obtrudit, quod vt ſumma cum diligentia, & religione recondam aſſeruemq́ etiam atque etiam monet.Rogo interim quid ſit: illa,pueri mei deciduum vmbilicum eſſe ait: admiratus, rogo quid ita faciendum ſuadeat: tacet, atque hoc vnum addit, aliquando me comperturum. vrgeo igitur multo magis vt me hoc ſcrupulo liberet,nodumque hunc tandem ſoluat: & quum me nihil promouere video,per vxorem etiam inſto, ſed fruſtra.Cedo igitur tempori,ſperans aliquando (vt accidit) vltrò,& nihil tale meditanti,cognitionem obuenturam: Siquidem quando vni grauiter ex inteſtini plenioris, quod κῶλον Græci appellant,morbo operam nauarem,ne officio deeſſem meo, quoſuis auctores conſului,in quibus decidui huius vmbilici mentionem fieri tandem animaduerti. Rhazes enim phyſicum remedium eſſe dicit vmbilicum infantis ad colicos dolores. Et Alexander Trallianus infantis recens nati vmbilicum præciſum, & in annulo argenteo incluſum geſtatum, ita vt carnem tangat, à colicis doloribus immunem reddere teſtatur, idq́ multiplici experimento comprobatum aſſerit. Sunt alij qui memoriæ prodiderunt, hunc eundem in puluerem redactum, & cum modico vini epotum, reſtibilem fœcunditatem conciliare: Quod ſi ita eſt,mirum admodum eſt, Furnenſis illius obſtetricis exemplo, deciduum vmbilicum, ab obſtetricibus, aut ipſis alioqui parentibus non aſſeruari,quando à grauiſſimo morbo,ſæuiſſimisq́ doloribus immunes reddat, atque interdum ſummè optata fœlicitate nos recreare queat. Tu igitur, mi Scippere,

 quando

quando nouas (quod fœlix fauſtumq́ ſit) contraxiſti nuptias, ſi quādo pulchra te prole parentem reddat coniux; curato ne incuria pereat puſionis deciduus vmbilicus.

DE DILVENDI VINI MODO, ET QVARE *dicatur*, Vinū lymphatū, citò potatū, facit ad lepram, *ad Anton. Realem.* XVIII.

NVPER *condicta apud pharmacopœum noſtrum cœna, Antoni doctiſsime, quum inter edendum ſicut res poſtulabat, cibariorū facultates expenderemus, atque noſmet philoteſias cratere frequentiùs reficeremus, vnus aſsidentium diluto aſſuetus vino, quamuis non admodum eſſet generoſum quod biberemus, iuſsit afferri aquam qua vinum nonnihil attemperaret. Quod reſciſcens ſympoſiarcha, ſubridens, Apageſis, inquit, cum tua hac Batauis nimis metuenda aqua, ac vide ne tibi aliquando non ſecus ac aggeribus noſtris negocium aliquod faceſſat. Ad quod ille, vt erat ab arte noſtra non prorſus alienus: Non dubito, ait, ô hoſpes, quin longè aliter quàm loqueris ſentias, præſertim, quando manifeſtum ſit, ac luce clarius, ægrotos, ex medicorū veſtrorum præſcripto, frequenter diluto vti vino. Nam quod à multis vſque ſeculis ſalubris illa diluendi vini conſuetudo inoleuerit, auctor eſt Athenæus Dipnoſophiſt. lib. 2. qui cōſcribit conſuetum olim fuiſſe, cibis appoſitis, mox vinum merum, atque amictum affundere, vt videlicet oſtenderēt, quanta vis, atque facultas eſſet boni dei; ac deinde quum quiſque pro ſuo libito diluiſſet, nomen Iouis ſoſpitatoris præfari ſolitum, quaſi ita dilutum, atque temperatum vinum, tutò, citraque noxam bibi poſsit, ac proinde ob hoc vini cum aqua commercium, etiam priſcos illos poëtas delphinos marina mōſtra Libero patri conſecraſſe, atque olim*

olim dici ſolitum, Dionyſium mergendum eſſe mari. Pauſanias quoque auctor eſt apud Phigalenſes Διονυσίῳ ἀκρατοφόρῳ ſacellum fuiſſe, cui cognomen hoc tributum ſit, quòd vinum ἄκρατον, hoc eſt merum & indilutum τοῦ ἀκράτου, hoc eſt intemperantiæ cauſa ſit; quamobrem ipſe dicitur Amphiωnem Athenienſium regem edocuiſſe quomodò vinum aqua attemperari debeat, ex qua etiam Dionyſius quondã ὀρθὸς, id eſt rectus vocatus ſit. Ex iſta enim mixtura viſi ſunt homines erigi, quum prius ex meraco vini vſu incuruarentur. Hinc forte eſt, quòd Cordubenſis ille Auicennas tertia primi, iis qui debili ſunt cerebro, à vini vſu in totum interdictum eſſe voluit: aut ſi ratione virium, aut conſuetudinis non citra periculum ſubtrahi poſſit, quam minimum, & dilutum concedendum dixit; à quo non diſſonat quod Galenus veſter vina quæ veteribus ὀλιγοφόρα dicta ſunt; quòd videlicet non multam aquæ mixtionem tolerent, à dilutis parum differentia, caput nequaquam offendere, verùm eiuſdem dolores nonnunquam ſedare dicat: quod & de vino diluto pronunciandum exiſtimo; refrenat ſiquidem aqua ſua frigiditate calorem vini, atque ad temperiem quandam reducit, atque inhibet ne calida vini virtus caput petat repleatque. Poſtquam ille dicendi finem feciſſet, Rectè, inquam, inſers diluendi vini rationem, vnà cum artis noſtræ crepundiis, vt ſic dicam, ſuccreuiſſe: neque negare poſſum quin eiuſdem olim frequentiſſimus non citra maximum commodum fuerit vſus: verùm an ea veteribus fuerit diluendi vini ratio, quæ hodie, deliberandum cenſeo: ſiquidẽ ſi paſſim decantatum prouerbium, Vinum lymphatum citò potatum facit ad lepram, verum eſt; procul dubio neceſſum eſt, priſcos illos qui tutò, atque citra omnis mali ſuſpicionem eodem vtebantur,

alia induſtria vinum aqua attemperaſſe; ac veriſimile omnino eſt, in ipſis vindemiis ſtatim poſt decerptas vuas, vinum aqua admiſcuiſſe; quod modò dilutum, modò aquoſum vinum vocarunt. Sic Hippocrates libro tertio De morbis, in febribus ardentibus vinum album aquoſum ex vuis paſſis prodeſſe dicit, aut quod magis credo, ipſos horis aliquot ante potionem vino aquam miſcuiſſe, quod & memoriæ prodidit Arnoldus de Villa noua, tractatu ſuo De vinis. Nam niſi vinum cum aqua quodammodo fermentatum fuerit, atque totum toti mixtum, perturbationem quandā in ſtomacho & inteſtinis cum rugitu procreabit, & quum natura ſimilibus conſeruetur, ac delectetur, primùm quidem vinum tanquam familiare, & amicum relicta aqua amplectitur quidem, verùm in propriam ideam non planè conuertere poteſt, aut ſibi aſſimilare, vnde contingit, vt neutris prorſus elaboratis (quemadmodum de vino lymphato in vas hederaceum effuſo ſcribit Marcus Cato cap. 110.) vinum tanquam tenuius in extimas corporis partes digeratur, ac reſudet, aqua verò ob craſſiorem vino ſubſtantiam in ventriculo remaneat; hinc fit, vt auctor eſt Ariſtoteles, vt vinum dilutum, puro ac mero citius inebriet; hinc fit vt vinum dilutius temperatum, vomitum magis quàm merum, quàm aqua proritet: hinc fit vt vinum lymphatum, citò potatum, vt dicitur, faciat ad lepram. Vinum ſiquidem ſemicoctū in venas diſtributum, vt eſt tenuiam partium, ac per ſe calidum, primùm quidem bileſcit, ac deinceps in horas magis ac magis caleſcens aduritur, atque in nigram conuertitur bilem, & quum ad extimas, vt diximus, particulas delatum ſit, ſubiectam cutim leuiſſima de cauſſa afficit, atque lepram efficit. quod præuidens Cornelius Celſus in præſeruatione à peſte, alternis

Vide Dioſcor. lib. 5. cap. 23. de vino marino.

diebus,

diebus, modò aquam, modò vinum dat: aqua enim inflammationem, vinum putredinem arcet, quemadmodum in commentariis noſtris in eiuſdem ſeptem poſteriores libros meminimus. Tu igitur, ſi diluto poſthac vti decreueris, in rem tuam eſſe puta, hora vna, aut altera attemperare vinum; aut ſi id non concedatur, vt minimum expectare, dum vinum aquæ permixtum ſit: nam ſicut ſunt inter ſe planè contraria aqua, & vinum; ita non citra ſummam commotionem, & perturbationem commiſceri poſſunt: videmus enim quotidie dum aqua mero affunditur, modò hoc, modò illam ſurſum ferri; atque id non ſolùm tantiſper dum illabitur aqua, fieri, verùm etiam longo pòſt tempore, neque antè ceſſare commotionem illam quàm tota totis commixta ſint. Si quis tamen magis compendiariam ad ſanitatis conſeruationem viam velit, ſuaſerim vt ſic dilutum vinum per diploma decoquat: ita enim omnis noxæ expers redditur; atque non aliter quàm Ioui ſeruatori dicatum tertium poculum, tutò citraq; periculum bibetur.

DE SOMNO POMERIDIANO, ET QVARE *dicatur* Menſibus eſt quibus R, noli dormire magiſter. XIX.

SOLEO *frequenter demirari, quî fiat vt quum medici omnes ſuas actiones atque theoremata ad naturalia quædam principia reducant, Hippocrates, atque adeò eo poſteriores omnes ad vnum ferè medici, meridianum ſomnum adeò ſuſpectum habuerunt, ac noxium pronunciarunt, vt vix aliud quicquam eo nocentius exiſtimaſſe videantur. Hippocrates etenim libro De diæta, meridianum ſomnum totum corpus atq. adeò animam ipſam perturbare & grauiſſimis ſubiicere periculis au-*

 ctor eſt.

ctor eſt. Quod quidem, vt cum venia tanti viri eloquar, an rectè dixerit, rogo vt mecum paulo diligentius expendant alij: Siquidem, quantum ego quidem coniicere poſſum, dum meridiari prohibent, naturæ nequaquam (vt medici officium eſt, qui, vt ex Hippocrate docet Galenus, naturæ miniſter eſt) inſeruiunt, aut obſequuntur, verùm eandem frænis quibuſdam coërcent, atque, ſi fas eſt dicere, vim inferunt. Siquidem ſi omnia animalia natura duce à refectione, maximo cum emolumento, & quieſcere & dormire videamus; credendum omnino eſt, hominibus non minus vtilem, quàm brutis animantibus ſomnum à ſumpto prandio futurum: Neque enim exiſtimandum eſt, naturā homini adeò fuiſſe duram, adeò nouercam, vt tanto beneficio eum defraudaret, in quem Deus optimus maximus omnia naturæ bona tanquam promptuarium quoddam, congeſſit; & quem reliquis animantibus præeſſe voluit; quem in rerum natura perfectiſsimum, atque omnibus modis abſolutiſsimum creauit; quem denique diuina illa ratione dotatum à brutis diſcreuit, quemq́; ad imaginem ſuam creauit. Durum igitur, atque à naturæ lege alieniſsimum cenſendum iudico, certum homini ſomni aliquod tempus præſcribere, quum cæteris animantibus eadem id liberum, neque aliquibus limitibus circumſcriptum eſſe voluerit. Et quantumuis ſedulò mihi obſtrepant, atque Hippocratem, Galenum, Oribaſium, Æginetam, Auicennam, ac reliquos qui artis noſtræ fundamenta iecere, obtrudant; ego certè hactenus is fui, vt nullius iurare in verba magiſtri aſſueuerim vnquam; ſed quum eos tanquam artis noſtræ coryphaos, plurimi, vt æquū eſt, fecerim, ſi quando tamen à ratione nonnihil deuient, non erubuerim ab eorundem diſcedere placitis; amicus enim, ſicut ait ille, Socrates, amicus

amicus Plato, magis amica veritas. Nam qua arte, quibus technis, qua tandem ratione demonſtrare poterunt, meridiari malum eſſe, quando quotidiana experientia compertum habeamus, brutis animantibus, ad corporis incrementum, animaliumq́; facultatum robur meridianum ſomnum plurimum conducere? Quod ſi brutis prodeſſe concedamus, nō poterimus non fateri eundem quoque hominibus fore vtilem: Siquidem ſi cum animalibus reliquis, naturales, ac animales facultates habemus communes, neceſſe eſt in vtriſque eaſdem ſimilibus & conſeruari, & augeri, & lædi: Atqui homini & brutis à naturâ attributæ ſunt, tam naturales, quàm animales facultates; Conſequens igitur erit, vtriſque, homini dico & brutis, communes eſſe cauſſas quibus facultates illæ ſuſtententur. Quod ſi ita eſt, concedendum erit, nihil eſſe quod magis ad hanc rem faciat, quàm à moderata cibatione tempeſtiuum ſomnum: hic etenim calorem innatum refocillabit, concoctionem adiuuabit, & corpus diſtributioni humorum præparabit, & facultates animales cum naturalibus firmiores, ac vegetiores reddet, tantum abeſt vt aliquam ſecum afferat noxam; eſt enim capiendi ſomni tempus oportuniſſimum, vel ipſo Ægineta auctore, à cibo; & ſi oportuniſſimum omnino eſt, non poteſt non commoditates plurimas ſecum adferre, quas ſigillatim recenſuit Paulus, & Conſtantinus, ciborum dico concoctionem, dolorum lenimen, laſſitudinis ſolamen, animi ægritudinum obliuionem, tabidi & exhauſti corporis refectionem, animi confortationem, ac mentis clarificationem. Hinc factum eſt, vt omnibus ſit in ore verſiculus ille, Menſibus eſt quibus R, noli dormire magiſter. *Hinc quoque Cornelius Celſus longis diebus meridiari concedit; ſiquidem quum æſtate propter*

propter circumſtantem extrinſecus caliditatem, innatus noſter calor diſſoluatur, atque diſsipetur; vtile eſſe cenſuerunt, eidem fomitem quendam ſubminiſtrare, ac concoctionem per ſomnum promouere. Nam apoplexias, oſcitationes, pandiculationes, vertigines, ſtomachi rugitus, diuturnos capitis dolores, quæ meridianum ſomnum magna ex parte ſubſequi docet Paulus ex Ægina medicus, ego non tam acceptas fero ſomno, quàm copiæ ingeſti cibi, aut ipſi alioqui crapulæ: videmus enim eos qui ad ſatietatem vſque cibos ingerunt, etiamſi non aſſueuerint meridiari, omnibus his ocyſsimè affici: ac rurſus eos, qui ſobrio ac parco contenti prandio, concoctionem meridiatione, vt ſic dicam, promouere; pancraticè viuere, cibos concoquere, vigere ſenſibus, & à quamminimis impeti malis. Tu igitur ſi ſanitati tuæ conſultum voles, prandio nonnihil demes, ac deinde poſt iocundam cum conuiuis confabulationem, diſcalceatus ſomno te dedes: ita fiet vt citra noxam naturæ tandem abſoluas curriculum: nam & Hippocrates ipſe libro De victu acutorum, ἀγρυπνίη δὲ ἐν μὲν τοῖσιν σιτεῦσι βλάπτει, ὕπνοι δὲ βεβρωκότα θερμαίνοντες ὑγραίνουσι τὴν τροφὴν ἐς τὸ σῶμα διαχέοντες, *hoc eſt* Vigilia quidem ſaturos lædit, ſomnus verò eum qui comedit excalfaciens humectat, alimentumque per corpus diffundit. *Abſtinendum tamen à pomeridiano cenſco ſomno, hyberno potiſsimùm tempore, atq; ſub finem autumni; atque vt habet Heſiodus in libro qui inſcribitur* ἔργα καὶ ἡμέραι·

ἦμος δὴ τοσοῦτον ὅσον τ' ἐπιβᾶσα κορώνη
ἴχνος ἐποίησεν, τόσσον πέταλ' ἀνδρὶ φανείη
ἐν κραδίῃ ἀκροτάτῃ. ———

Quum enim ventres hyeme & vere natura calidiſsimi, ac ſomni longiſsimi ſint, ad ciboram concoctionem ſatisfaciet

tiſfaciet ſomnus nocturnus; nam & noctium longitudo, & temporis conſtitutio ad promouendum ſomnum plurimum faciunt.

CVR LAQVEO STRANGVLATVS DIcitur is qui relicto vino aufugit: ad Eugenium Peerboom. XX.

NON poſſum negare, mi Eugeni, quin quæ proximè apud me indicta cœna hinc inde dicta ſunt, literis mandare pollicitus ſim: ne igitur debiti deinceps me moneas; ordine, ἀλλὰ μάλα λακωνικῶς, rem narrabo. Meminiſti, opinor, quemadmodũ dum cratera primum hilaritati biberemus, ego ex inſperato ad ægrum accitus, ne moroſos alioqui ex morbo ægrotantes mea mora moroſiores redderem, proximè aſſidenti quod ad me forte iam deuenerat poculum, tradiderim; quod vnus noſtrûm animaduertens, atque moleſtius quàm par erat ferens; omnibus modis vrgebat, ne ſortes meas præterlabi ſinerem; ac inſuper addidit, me præter decorum & patrium viuendi inſtitutũ facere: præterea noſtratibus pluſquam receptum prouerbium eſſe, Laqueo finiſſe eum vitam, qui relicto vino aufugerat. Hîc ego, etſi me aliò auocarent negocia, in hunc modum, quantum pro temporis anguſtia licuit, orſus ſum. Quamuis conuiuij noſtri lex, quod eô tantum inſtitutum, ſicuti ipſe noſti, eſt, vt iocundis ſalibus, & dulci vocum harmonia nos exhilaremus, non vt varietate poculorũ grauemur, tibi ſilentium impoſuiſſe debebat; tamen quoniam vſitata parœmia dictis tuis auctoritatem cõciliare ſtudes, quàm potero breuiſſimè reſpondebo. Reliquis igitur præteritis, ad vulgo illud receptum prouerbium totum me conuertam; quod quidem, vt mihi apparet, non ſatis appoſitè in tuam ſententiam

tentiam detorſiſſe videris : nam ſi (vt olim ex D. Hieremia Driuero, quondam præceptore meo, mihiq́ non niſi honoris titulo nominando audiſſe memini) publici illi mimi, aut adagia, occultam quandam energiam habeant; ac quantumuis ludicra ſint, quantumuis abiecta ſint, & ſordida, aliqua metaphoræ ſpecie fucata eſſe, ac nonnunquam etiam ad philoſophicas reduci rationes poſſe: credendum omnino eſſe, vulgo hoc celebratum prouerbium referendum eſſe, non ad fortuitum illum ſicuti referunt caſum, ſed ſicuti olim fuerunt maxima commercia Gallis linguæ Græcæ & Latinæ, aut ad Ancæi fabulã; aut ad aliud quid eiuſmodi: ac proinde vſurpandum tantum, quoties quis bibentem interruperit : Siquidem quum veteres illi viderent, nihil tam eſſe certum, tam firmum, aut ſtabile, quod ſubitus aliquis caſus interuertere non queat, illiberale ac indecorum eſſe cenſuerunt, potantem interrumpere, aut interturbare, aut à cœpta potatione cohibere; verùm vt nos alacriores redderent ad ſatisfaciendum naturæ, nouo commento dixerunt, eum ſtrangulatum qui relicto vino aufugiſſet. Quæ quidem explicatio, etſi nonnullis prima fronte durior videri poßit, mihi tamen omnino recipienda videtur, idq́ quòd Plinius olim inter mala omina annumerarit, aliquid è menſa mouere bibente alio. Dicit enim libro vigeſimo octauo: Recedente aliquo ab epulis, ſimul verri ſolum, aut bibente conuiua, menſam vel repoſiterium tolli, inauſpicatiſsimum iudicabatur. Hinc etiam hodie receptum videmus, vt quoties perſonati conuiuia ex more frequentantes, venere non ſatis propicia iacturam fecerint, ſcopis euerrantur : adeò multa hodie vſurpari videmus, quæ occulta quadam origine ad priſcos referenda ſunt.

QVA-

QVARE DICATVR, BELLI TEMPORE mentham nec ſerito nec edito. XXI.

ARISTOTELES *ille problematũ ſectione 20. ſtatim in initio proponit, cur prouerbio iactetur* μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔσθιε μήτε φύτευε: *hoc eſt, belli tempore mentham neque edito, neque ſerito: atque inibi, ſaluo ſaniori iudicio, à ſcopo non parum aberraſſe, neque prouerbij naturam ſatis conſideraſſe videtur, dum dicit, An quia mētha corpora refrigerare poteſt, vt corruptione ſeminis conſtat genitalis; id autem ipſum aduerſum eſt ad fortitudinem, atque animoſitatem, quamuis genere ſit idem. Ac primùm quidem erraſſe videtur, quòd menthæ temperamentum, ac vires non perpenderit; nam quum acri ſit guſtu, manifeſtum omnino eſt eſſe ex genere calefacientium, ita vt à Galeno & alijs tertij ordinis ſtatuatur excalefacientium, & ſecundi exiccantium, præſertim ea quæ domeſtica eſt; hæc enim ex cultu humiditatem quandã ſemicoctam, & flatuoſam continet, vnde & veneris voluptatibus cõmendata dicitur, quamuis Plinius libro 20. cap. 14. Ariſtoteli ſubſcribat. Parœmiæ autem dignitatem parum conſideraſſe videtur, dum ſimpliciter dicit, mentham nec edendam, nec ſerendam belli tempore, quòd ſuo frigore corpora eneruet, ac ſemen genitale corrumpat, quando hoc & de lactucis, portulaca, blito, atque huius generis herbis citra controuerſiam frigidis, rectiùs decantari potuiſſet. Quare quando parœmia ita à quibuſdam definiatur, vt ſit ſermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata obſcuritate, multam in ſe continens vtilitatem; aliò referri debet origo dicti adagij. Neque hic mihi poſt Petrum Aponenſem ſatisfacit Leonarthus Fuchſius, qui Ariſtotelem cum Galeno & alijs*

conciliare ſtudens, dicit mentham quidem per ſe calidam eſſe, cæterùm quia libidinem proritat, corpora refrigerare, & vires proſternere: quãdo, etſi à vero nõ omnino abſit, mihi tamen aliunde ſententiæ elucidatio petenda videbatur, præſertim quando parœmia dicat, non tantum cauendum ab eſu, ſed & à ſatione; ac ſi ſatio hediosſini tempore belli non minus ſuſpecta ſit, quàm eiuſdem eſus: ac proinde originem parœmiæ ad ſationem potiùs, quàm manducationem ipſius referendam eſſe; ſyluestris enim mentha vt minus oderata, ita infirmior longè eſt ea, quæ cultu aſſcititiam quandam humiditatem, atque aliam quandam naturam imbuit; ſed neque ad venereos actus ita procliues reddit, verùm ſua ſiccitate ſemen quodammodo extinguit, vt vult Oribaſius. Quare ne veneris vſu vires exoluerentur, ac torpeſcerent, parœmia admonet, ne tempore belli ſeramus mentham, quaſi eius ſatione, fomes ſubminiſtretur effeminandis, euirandisq́; hominum animis, atque corporibus, quando mentha ipſa (niſi cultura, & ſatione flatuoſam quandam, vt diximus, & ſemicoctam humiditatem quæ veneri ſtimulandæ idonea ſit, adipiſcatur) parum alioqui obfuerit; aut corpus, viréſue torpidiores, & ad actiones obeundas ſegniores facere poſſit.

QVARE ANNVLVS EX ONAGRI *vel aſini domeſtici vngula geſtatus dicatur effaſcinare.* XXII.

NVPER, *mi Furſtere, dum Mundæ in aula vnà cum aliis qui Illuſtriſſimo Principi noſtro à conſiliis ſunt, prandentes, propoſitis ex veterum conſuetudine griphis, animum ſimul & corpus reficeremus, atque ordine quodam ſorte tandem ad te deuoluta, mihi vt*

proximè

proximè accumbenti, ſoluendum traderes; cùr annulus ex onagri, vel aſini domeſtici nigredinem non habentis vngula geſtatus, ad effaſcinationem faciat. Ego quamuis longè petenda eius ratio videbatur, ne aſymbolus eſſem, ac nouus hoſpes philoſophicum illud conuiuium diſſoluerem, quod potui ex tempore in medium attuli. Ac primùm quidem dixi, amuletorum, ac perihaptorum nonnulla à cæleſti ſiderum influxu talem eſſe ſortita energiam; ſic torchoſius in annulo geſtatus certo experimento cadentem à læſione munit; ſic ſmaragdus caſtitatem conſeruare creditur; ſic iaſpis collo appenſus ab aëre immundo, & peſtilenti geſtantem immunem reddere putatur; ſic ſardonius ventri deligatus fœtus detinere, & abortum arcere; ſic denique chelidonius melancholicos, nec ſibi ſatis conſtantes reſtituit, ſi munda ſindoni impoſitus, ſiniſtro agri brachio alligatus fuerit, & ad ſe quodammodo redire, & mente conſtare facit: vt alia eius generis innumera prætermittam. Alia rurſum talia eſſe, vt ex ſimilitudine analogiam quandam, & ſympatheiam habeant ad certum aliquod membrum, corporisq; particulam; omne enim par confortat ſuum par: ſic muſtelæ oculum dexterum in annulo poſitum liberare à faſcinatione quæ per oculos fit; & qui lupi, vel hominis oculum ſecum detulerit, ægrè videbitur: ſic leporis vterus ad fœcunditatem valet; ſic itidem deciduus infantis vmbilicus argẽto incluſus geſtatus ita vt corpus attingat, à coli inteſtinorumq; doloribus liberat; ſic ſi vulturis corium dexteri calcanei, dextero podagrici pedi imponas, vel læuum læuo, articulorum dolores leniri aiunt. Atque iterum alia talia eſſe, quæ ab ipſius animalis vnde veniunt, inſita quadam natura, facultatem talem, atque energiam ſortita ſunt: quam quidem vim contingit modò in

 has,

bas, modò in illas corporis etiam ignobiliſſimas particulas diffundi: Sic mula ſterilis quum ſit, ſi eius auriculæ à muliere ferantur, vel bibantur, non concipiet: & ſuffitus vngularum eiuſdem, ſi Villanouano credimus, quamuis ſuperflua menſtrua reprimat, aufert tamen totum menſem concipiendi ſpem: ſic paſſerculorum inter auiculas ſalaciſſimorum cerebella, tanquam amuletum quoddam ſi edantur, venerẽ ſtimulant: Sic aſinus quum animal alioqui iners ſit, & (vt verbis ſanctæ Hildegardis *vtar) ad actiones pigrum, prorſus tamen luxurioſum eſt, & ferè cæcum de ſuperfluitate naturæ quam in libidine habet, ſoleas, aut vngulas profert, ex quibus ſi annulus fiat qui geſtetur, faſcinationem euetruncare perhibetur, eamq́ non quamuis; ſed qua viri veluti ligati ad venerem inutiles redditi ſunt: veriſimile enim eſt animi indolem in vngulas quodammodo demigraſſe, vnde geſtanti* ϛοργὰς, *& veneris ſtimulos quoſdam excitare creditur:* Nec *mirum eſt vim hanc vngulis potius quàm aliis corporis particulis inſitam eſſe, quando multus ſemper fuerit ſolearum vſus in medicina, vti docet* Razes *libro* De *lx. animalibus: nam vaccarum ex prioribus tantùm pedibus exutarum, combuſtarumq́ cinis potus nutricibus lactis copiam præbere exiſtimatur; mularum, ſicuti diximus, mulieres infœcundas reddit.* Caprinarum *cinere perunctæ ex aceto alopeciæ ſanantur:* Annulus *etiam ex alcis vngula geſtatus, epilepticorum remedium, & amuletum quoddam eſt. Si quis tamen ad omnes faſcinationes tollendas annulum hunc ex onagri, aſiniue vngula facere contendat, per me integrum eſt; ego ſtrictius de dicta tantùm ſpecie accipiendum reor.* Tu *interim, mi* Furſtere, *pro ſolertis ingenij tui induſtria, ſi his amplius aliquid excogitare potes, prima ad*

nos

nos occaſione, tranſmittas rogo, vt dũ aliud non conceditur, hac me exerceã palæſtrã. Vale Neoſtadio ad Lenum.

CONSVETVM OLIM FVISSE INTER *epulas canere, de feſtiuitate luminum, theoxeniis, pithegiis, robigalibus, ſementinis feriis, & pyris quæ pridie natiuitatis Ioan. Baptiſtæ extruuntur.* XXIII.

NON *iniuria, mi Theodore, quidã conuiuium, commilitonum homeliam, alacritatis animi pabulum, amicitiæ philtrum, & beneuolentiæ parens eſſe dixit: in conuiuiis enim vegetatur corpus, reficiuntur ſpiritus, atque animus ipſe ſeſe exercendo quodammodo efflorèſcit, & alacritatem quandam adipiſcitur. Quoties enim ad epulas conueniunt ij potiſſimùm quibus philoſophiæ ſtudium cordi eſt, toti in hoc ſunt, ne ciborùm congerie exatiato corpore famelicus recedat animus, verùm diuerſis argumentorum, atque exemplorum philoſophicorum opſoniis cõdientes animũ ſimul, & corpus paſcunt. Quod nuper dum vnà pranderemus, ipſa experiẽtia verum eſſe comperi: ſiquidem quando (ſicuti nobis mos eſt) epulas noſtras muſicis cantiunculis deliniuiſſemus, inter conuiuas (inuitis vt ſuſpicor vocatus Muſis) quidam tetricus prorſus Cato prorupit, qui neſcio quid debacchatus, ludicram omnino neque viro ingenuo dignam eſſe artem muſicam proclamat: nam & olim qui bonus eſſet cantor, eundem bonum habitum fuiſſe cupediarium; ac proinde nos præter decorum facere, qui inter prandendum huiuſmodi cantiũculis teramus horas, Herculisq́ cothurnum aptare infanti, dum tranquillam Theologiæ ſeueritatem, conſtantem Iuriſprudentiæ grauitatem, ac*

frugalem artis medicæ continentiam, ludicro quodammodo, ac leui muſices exercitio attemperamus; ſatius longè fore, ac noſtra profeſſione dignius, ſi hac neglecta rerum principiis inſiſtamus, atque indagemus, vnde tot, ac tam varij nō ſolùm ritus, ſed & feſtiuitates ab ethnicis ad nos manarint. Ad quod ego, Bene quidē tu infers, ô hoſpes; verùm vt ſcias non eſſe ludicram prorſus, artem muſicam, aut nouum aliquod inuentum inter prandendum cantiunculis decertare, antequàm ad propoſitionem tuam deueniam, priùs demonſtrabo à ſummis vſque viris in maximo ſemper precio habitam muſicam, conſuetumq; olim fuiſſe inter epulas canere. Auctor eſt enim Plutarchus, Scythas quoties plus ſatis vino indulſiſſent, inſtrumenta certa muſici generis pulſare conſueuiſſe, vt diſcuſſis voluptatibus animum ad priſtinam continentiam; ac moderationem reuocarent. Adde quòd Socrates, non ſolùm hominum conſenſu, verùm etiam Apollinis oraculo mortalium omnium ſapientiſſimus iudicatus, ac humanæ ſapientiæ, quaſi terreſtre quoddā oraculum, ætate prouectus fidibus tractandis operam dare cœpit, ſatius iudicans eius artis vſum ſerò, quàm nunquam percepiſſe. Cognouerat enim vir ille Græcæ doctrinæ clariſſimum columen, artem hanc in mouendis affectibus maximè eſſe vtilem, atque homines ipſos vel naturâ duce, vt poſt eum ſcriptum reliquit Galenus, ad eam capeſſendam eſſe attentos; argumento eſſe pueros, qui quoties modulos audiunt, à vagitu ceſſant, ac dormire incipiunt; quoniā videlicet modulandi ratio, vt auctor eſt Alexander Aphrodiſeus, quæ muſica nominatur, eſſentiæ noſtri animi à natura indita eſt. Quod animaduertentes veteres illi philoſophi, conſtituerunt vt in conuiuiis primùm voce communi canerent Deum παιανίζοντες; deinde vbi

ad

ad epulas deuentum eſſet, myrteum ramum circumferentes, ſorte vni ex accumbentibus eundem offerrent; qui accepiſſet, canere iubebatur. Quem morem Gaudæ in ſolemnibus Bacchanalium comeſſationibus, (quas Græcorum more rectius συμπόσια, quàm conuiuia appellaris) quotidie obſeruari videmus, dum probè ſaturi vnà cum mulieribus viri bacchantium more (quod & te aliquando factitaſſe memini,) ad rauim vſque præter decôrum clamitant; ac proinde quando inquirendum cenſes, cur feſtiuitates nonnullas, ac ritus, ab ethnicis tanquam per manus traditos, paſſim à noſtris receptos videmus, ego viciſſim te interrogatum cupio, num nos antiquum illum conuiuandi modum meliùs obſeruemus, qui modulis certis, & ſuaui vocum melodia, non tantùm nos, ſed & aſſidentes reficimus, an vos qui intencinno veſtro boatu, non ſolùm veſtras, ſed & longè diſſitorum aures obtunditis? quod ni concedas, en tibi, inquam, pro myrteo, qui ſorte debetur, ramum laureum, ad quem confeſtim canas neceſſe erit. Tum ille iam paulo ſedatior, Fateor, inquit, hæc quanquam breuiter, grauiter tamen, & verè abs te dicta eſſe: cæterùm quum videamus paſſim muſicam à primoribus viris negligi, ac præteriri, & ab infimæ ſortis hominibus tantùm tractari, veſtris profeſſionibus indignam cenſui: quod quamuis ita ſit, non dubito tamen quin aliquando ad antiquum illum ſuum ſtatum reditura ſit muſica, & quin eam grauiſſimi quiq; viri, quemadmodum de Socrate iam dixiſti, tanquam curarum domitricem amplectentur, ac diſcere incipient, præſertim quando vos ab eadem neutiquam abhorrere compertum habeam: Solent etenim homines rerum viciſſitudine quadam oblectari, multaq; renaſcentur, vt ait ille, quæ cecidere, cadentq; quæ nunc ſunt in honore. Rogo

igitur, vt relicta hac controuerſia, cœptam abſoluamus telam: Siquidem etſi demonſtraris conſuetudinem hanc veſtram antiquitatem quandam ſapere, neque prorſus improbandam, aut à Chriſtiana religione alienam, nondum tamen mihi ſatisfactũ eſt, vnde feſtiuitates aliquot, ac cærimoniæ ethnicæ prorſus, ac paganæ in Rempub. Chriſtianam irrepſerint. Nam in Bacchanalibus noſtris, quid, quæſo, aliud quàm bacchantes, vicatim diſcurrentes vidêmus? quid, quàm Bacchum ſonantes audimus? quid, quòd in Floralibus (quæ die Lunæ proximè trium Magorum feſtiuitatem ſequente celebramus, quem & floren maendach *appellant) non iocamur modò, ſed & inſanimus, & relicto decoro, & honeſto quiduis non perpetramus? Senes non delirent ſolùm, ſed & reiuueneſcentes quodammodo celebrent non tantùm feſta, ſed & floralia certamina? Quid quòd, vt quondã in Saturnalibus amici inter ſe munera mittere ſolebant, ita nunc apud Batauos, & his confines Vltraiectinos, conſuetum ſit prolibus, vxoribusq́; atque ipſis etiam familiaribus pridie Pontiani, parentes, maritos, & neceſſitate coniunctos munuſculis prouocare, vt in feſto Agnetis cum fœnore (vt ferè fit) eadem rependant, alterum vernaculo ſermone* Pontſen, *alterum* Agnen, *vocantes; diſcrimen quoddam facientes, vt olim inter xenia, & apophoreta fuit? Quid quòd ad duodecimum Calendar. Februar. videas Flandros, Brabantosq́; atque his confines, ſub veſperam bene ſaturos pomaria circumeuntes, arbores ſertis quibuſdam ſpiceis (ſicuti ſolent Floralibus ſpicas ad ſacrarium ferre) coronantes, omnia fœlicia, huberemq́; fructuum prouentum ominantes? Quid quòd eoſdem ſub Martij initium paſſim per campos, vel intempeſta nocte, diſcurrentes videas, ac ſtramineas accendentes faces,*

ces, vlulantes, ac neſcio quid quiritantes, quemadmodum in Cerealibus olim apud Romanos factum aſſerit? Numne hæc toleranda, & Chriſtiano viro facienda cenſetis? numne tanquam peſtem quandam extirpanda? Nam per deos, quid aliud quàm Bacchum, Floram, Lactuciniam, Maturam, Cereremq; ſpiramus? quid aliud quàm eorum ſacra celebramus? quid aliud quàm humani generis aſſertori, qui nos ſuo ſanguine ſibi vindicauit, iniuriam facimus, qui quum zelotypus ſit, ſibi vult impendi honores, ſibi ſacrificari, ac ſibi ὁλοκαυτώματα offerri? Hic ego, etſi, inquam, Apollinis oraculum nos moneat, vt noſcamus noſipſos, nosq; noſtro metiamur pede: & quanuis hæc tua propoſitio non ſit meæ profeſſionis, ne tamen griphum hunc indiſſolutum relinquam, breuibus, quod in me eſt, reſponſum curabo. Ac primum quidem ingenuè fateor, non citra maximam nominis Chriſtiani iacturam ſummumq; ſcandalum, Bacchanalium, Floralium, atque his ſimilium feſtiuitates vna cum nominibus in Chriſti ouile irrepſiſſe: verum quum ſenſim ad verum Diuini numinis cultum alliciendus eſſet populus, arte aliqua opus erat, qua Eccleſiæ antiſtites mortale genus rude adhuc, & idolatriæ aſſuetum, à dæmonum præſtigiis auocarent: quod meliore ratione, aut commodiore via, haud fieri poſſe exiſtimabant, quàm ſi mutata ſacrorum ratione, vna cum cærimoniis aliquot, tempora feſtiuitatum cum ritibus nonnullis ἀδιαφόροις aſſumerent: Neque enim iniuria, mea quidem ſententia, Heraclitus ille exiſtimabat, ſacrificia medicamenta quædam eſſe, quod præpotentis pharmaci vice animã expurgent; nam ſacrorum eam vim, atque potentiam arbitrabatur Iamblichus, vt etiamſi minus ea noueris, pio tamen ea proſequaris affectu, nihilo tamẽ minus efficaciſſima fiant.

Hinc igitur factum ſuſpicor, vt poſt iacta à ſummo generis humani aſſertore Ieſu Chriſto eccleſiæ ſuæ fœlicia fundamenta, patres atque antiſtites, quum arduũ prorſus, & difficile eſſet cum religione totum Reipub. ſtatum inuertere, ſatius cenſerent feſtiuitates nonnullas ethnicorum in Chriſtianum vſum quodammodo adoptare, ac pro germanis recipere, quàm interturbata publica tranquillitate omnem extirpare paganiſmum. Hinc, inquam, factum eſt, vt quemadmodum Athenienſes in πιθοιγίαις *ſuis (quæ ad vndecimum menſis, quem* προςατήριον *appellabant, celebrare ſoliti erant) comprecabantur, ſicuti ait Plutarchus,* ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τοῦ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι: *& quemadmodum Latini in meditrinalibus ſuis ominis cauſſa dicere ſolent, Vetus nouum vinum bibo, vetere nouo vino morbo medeor; quod, vt ait Flaccus, hoc die flamen Martialis dicebat, vinum nouum & vetus libari, & deguſtari ſolitum medicamẽti cauſſa; ſic hodie in feſtis Martinianis videas promiſcuum vulgus cum contubernalibus ſuis vino nouo vetere ſeſe reficere; ſic in œnopolis nihil præter nouum vetus vinum reſonare audias, dum quod hodie muſtum eſt, cras fore vinum proclamant. Quæ quidem conſuetudo, etſi ab ethnicis ad nos manarit, tolerari, & citra ſummi numinis offenſam, admitti poſſit, præſertim quando ſuperſtitioſa illa de medicamentoſo vino perſuaſio antiquata ſit, ſi cum gratiarum actione comedentes & bibentes, non vltrà quàm naturæ ſatis ſit aſſumeremus; & ſi feſtũ diem celebrantes, tantummodo ſacræ ſcripturæ lectione, & auditione nos occuparemus, & iugi oratione propitium nobis redderemus Deum: Nam alioqui ſi omnes quæ ab ethnicis origine ſumpſerunt feſtiuitates reiiciendæ eſſent, omnibus ſanctis ſacer dies nequaquam eſſet admittendus, vt*

qui

qui ab ethnicorum feſtiuitate mánet. Nam ſicuti nos diem hunc tanquam omnibus diuis ſacrum celebramus; ſic illi ſua habebant θεοξένια, *ſuum pandicularem, & communicarium diem, quo videlicet omnibus pariter diuis rem diuinã faciebãt. Præterea rogationũ dies, quibus in Chriſtiana Repub. nihil aut magis pium, aut ſanctum, aut vtile inſtitutũ eſt, quòd à ſementinis feriis, quæ ſationis cauſſa ſuſcipiebantur, & Robigalibus feſtis quibus Robigo deo ſacrificabant, ne rubigo occuparet ſegetes, quodammodo ad nos deueniſſe videantur, antiquandi eſſent. Quin & nonnullis eadem ratione non ſatis toleranda videatur ſolemnitas illa purificationis Deiparæ Virginis, quod eam aliqui ad Lupercalia, alij ad Proſerpinalia, alij ad Ditis patris, ac rurſum alij ad Februi dei, quem luſtrationibus præeſſe ſuſpicabantur, ſacra reducere nitantur; quam tamen ego vt Hebræum inſtitutum Hebræis acceptã fero. Ioſephus enim lib. 12. Antiquitatũ Iudaicarum auctor eſt, Iudæos 25. menſis Chaſlei, quem Apellæum Macedones nominant, accendiſſe lumina in candelabris, & ſuffitum feciſſe in altari, & panes ſupra menſam propoſuiſſe: quam feſtiuitatem, quemadmodum hodie & nos, luminum appellabant, quòd videlicet vtriſque ex inſperato tanta illuxerit fœlicitas, ac Sol iuſtitiæ ortus ſit. Nec me mouet quod Ioſephus 25. menſis Siſlef, aut Chaſlei, quem alio loco nonum ordine cenſet, ſacra hæc celebrata dicat: Veriſimile enim eſt patres potiorem habuiſſe rationem legis puerperij, (quæ dicit, Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ purgationis, ipſa verò triginta diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ) quàm diei quæ feſtiuitas illa luminum celebrari ſolet, ac proinde quadrageſimo die à nato ſaluatore,*

tore, iuxta legem Moyſi inſtitutum eſſe feſtum Deiparæ Virginis; quo monemur, in memoriam orti veri, & inextinguibilis luminis, cereos ardentes in manibus geſtare, & ardentibus votis Deum quærere, Deum adorare in ſimplicitate cordis, ac cor contritum, & humiliatum illi offerre. Audiſti iam opinor, ô hoſpes, inquam, quæ ſit prima origo feſtiuitatum nonnullarum, ab eccleſia receptarum; quas niſi multis, variiſq; abuſibus polluiſſemus, procul dubio plurimum mihi facere poſſe viderentur ad incrementum religionis Chriſtianæ. Verùm ea eſt naturæ noſtræ imbecillitas, vt proni ſemper in vitia ruamus, ac relicto Chriſtianiſmo ad paganiſmum quendam procliues ſimus. Ac quamuis tempus poſtulet ſemel his finem imponere, ne pedem in alienum tantum inferens chorum dixiſſe videar, ni moleſtum vobis ſit, volupe mihi erit à medicis noſtris ſuperſtitioſe receptam conſuetudinem enarraſſe. Vſitatum eſſe noſtis apud Gallofrancos, Flandros, Brabantos, atque his confines, ſub Sirij ortum pridie D. Ioannis Baptiſtæ natalium, & vinculorum Petri, paßim per compita luculentos extruí vignes: Pariſiis etiam in ipſo foro ante ædes ciuicas publicis impenſis ingentem erigi pyram: quod non aliunde ortũ exiſtimo quàm ab Hippocratis noſtri diuino inſtituto; qui quando Athenis, atque per totam Græciam, aëris vitio ſæuientem audiſſet peſtem, iuſſit ilicò per totam Athenarum vrbem incendi ignem, eumq; non ex ſimplici lignorum materia confici volebat, verumetiam ſerta floreſq; ſuauiſsimos, alimentum ipſius eſſe conſuluit, vnguentaq; pinguiſsima, & odorifera ipſis ſuperfundi, vt aërem purum hoc modo redditum homines in mali ſubſidium inſpirarent. Quod vt ſalubre, ac vtile inſtitutum minimè negligendum cenſebant poſteri: quare ſtatuerunt, vt

quotannis

quotannis ſtato tempore, quemadmodum fieri diximus, ſtruerentur ignes purgandi aëris ergô; eſt enim mira quædam ignis vis ad coërcendam propulſandamq́; aëris intemperiem, ac putredinem, ad quem velut ſacrum ſuperſtitioſa nimis poſteritas comitiali morbo apprehenſos ter circumagere ſolet; tanquam alia ratione ſacer hic morbus curari nequeat, quàm ſacro hoc igne ad præcurſoris domini, quemadmodum volunt, memoriam inſtituto, non ſecus ac magi illi expiatores ac circulatores, quorum meminit Hippocrates, aut quiſquis tandem is fuerit, qui libellum De morbo ſacro conſcripſit, qui vt conſilij, ac mentis inopiam obuelarent, morbis diuinitatem quandam prætexebant; poëtarum omnium ſapientiſſimi Homeri auctoritate innixi, qui morbos nonnullos ad cœlitum iram retulit, & ab iiſdem opem popoſci ſolitam cecinit. Quanquam meo quidem iudicio rectiùs lõgè, & diuiniùs Hippocrates ſenſerit, qui morbos omnes nihil minus quàm diuinos, ſed merè naturales eſſe dicit, ac ſi qui tales ſint, febres tertianas, quartanas, quotidianas potiùs in eorundẽ albo cẽſendas eſſe, quàm varias illas epilepſiæ ſpecies, quas olim Neptuno, Hecatæ Enodiæ, Apollini Nomio, Marti, Herculi, atq. aliis pro varietate ſymptomatum adſcribebant; quemadmodum hodie quoque eaſdem modò Diuo Ioanni Baptiſtæ, interim D. Huberto, Cornelio, aut Valentino, aut Ægidio dedicamus, quaſi aliunde morbi liberatio expectari nequeat. Quod vt eſt à profeſſione noſtra alieniſſimum, vt quæ, ſicut dictum eſt, morbos omnes ad naturales quaſdam cauſſas referre ſolet, ita an cum religione noſtra ſatis conueniat, aliis diſputandum relinquo.

MVLTA IN VSVM NOSTRVM *irrepſiſſe quorum vtilitas ignoratur.* XXIIII.

MVLTA *apud nos in vſu eſſe, & in conſuetudinem veniſſe, mi Hadriane, quotidiana docet experientia, quorũ vſus & origo ignoratur: videmus enim paßim apud delicatulas matronas in deliciis eſſe minutulos canes: at ſi eaſdem roges cur ita faciant, magis erunt mutæ, quàm aut piſcis, aut ſeryphia rana; aut receptam iam inde conſuetudinem, aut ſuas tantùm quas animo concipiunt voluptates in medium proferentes: ac rurſum nobilitate præſertim conſpicuos viros ſi rogites cur lupina pelle amiciantur, non aliud puto reſpondentes audies, quàm ad propulſandas cœli, aërisq́ue iniurias hoc fieri: Alij Zonas aut cingula è pelle vituli marini geſtantes, nihil minus quàm cuius ergò olim ſolita geſtari ſint norunt. Atque huius quidem generis poſſemus plurima in medium producere exempla, verùm ternario hoc numero contenti, ſtudebimus altiore indagine eruere, cur in vſus hominum hæc primùm venerint. Ac primùm quidem, vt deinceps pro comperto habeant tenellæ matronæ, Melitæos illos catulos olim in deliciis habitos, non voluptatis tantùm ergò, verùm ad depellenda varia corporis vitia, conſultum facturus mihi videor, ſi explicem quare hodie moris ſit magnatibus, & teneris præſertim matronis, enutrire minutulos catulos, atque illos magna ex parte lecti conſortes facere: Qui enim in veterum ſcriptis vtcunque verſatus eſt, id non citra rationem hactenus obſeruatum intelliget, præſertim quum catulos lactentes potißimum in eo precio habuerit antiquitas, vt iis placandis etiam numinibus hoſtiarum vice vteren-*

vterentur; nam & catulina adiiciali epulas celebriores redditas memorant: ſed hæc tanquam parerga. Illud ſilentio prætereundum non eſt, quòd catuli viſceribus humanis affectis, aut dolentibus applicati, in ſe dolorē conuertunt, auctore Plinio: Præcordia vocamus vno nomine exta in homine, quorum & dolore cuiuſcunque partis ſi catulus lactens admoueatur, apprimaturq́; his partibus, tranſire in eum morbus dicitur; idq́; exenterato, perfuſoq́; vino deprehendi vitiato viſcere illo quod doluerit hominis. Hi quoque quos Melitæos vocamus catulos, ſtomachi dolorem ſedant applicati ſæpiùs, tranſireq́; morbus ægritudine eorū intelligitur, plærumque & morte. Hinc, hinc, inquam, inoleuit conſuetudo, vt mulierculæ otio, & deſidi vitæ aſſuetæ ad promouendam ciborum concoctionem catellos familiariter enutrirent, atq. eoſdem in contubernium accitos ſtomacho apponerent, vt eorundem calore accidentario adiutus ſtomachus faciliùs cibum conficeret; hinc paſſim puerperis coloſtro laborantibus, & præcordiorū, ſtomachiq́; torſione vexatis, teneros adhuc & lactētes catulos præſcribimus, qui leni ſuctione coloſtrum exugant, & tepido ſuo calore ſtomachum roborent, ac torſiones diſcutiant, atque in ſe malum trahant. Quo fit, vt non ſatis mirari poſſim ter maximum illum, & polyhiſtora Eraſmum dixiſſe, τὰ μελιταῖα κυνίδια ali tantùm ad voluptatem ſolita, non ad vſum. Sed nec minore myſterio caret, quòd hodie à magnatibus geſtari lupinas pelles dixerim; veriſimile enim eſt à Magis, qui rerum naturas, καὶ ἰδιοσυγκρισίας perſcrutati ſunt, ita primitus inſtitutum fuiſſe, vt his quos cum hoſte congreſſuros, impauidos inuictosq́; eſſe vellent, (vt heroas decet) veſtem aliquam aptarent, quæ eoſdem conſtantes, & intrepidos redderent; cuius ergò

lupinam

lupinam pellem olim fuiſſe commendatam legimus: ea etenim geſtata, non ſolùm terrifica ſomniã, & terrores nocturnos cohibere dicitur, ſed & hominem audacem, & inuictum reddere creditur: adde quòd, ſi Plinio credimus, pellis ſolida è ceruice lupina veneficia arcere credatur, tanta eſt vis animalis. atque hæc de lupina pelle catuliſq; Melitæis. Verùm quid de zona illa quam ex vituli marini corio ferri diximus? Habet certè & hæc abſtruſam quandam, & occultam in ſeſe proprietatem, adeò vt non minoris eandem facere debeant geſtantes, quàm olim Tiberius Cæſar laurum ſuam quam pro corona geſtabat, ne tonitru afflaretur: vituli ſiquidem marini ſoli inter aquatilia fulmine non feriuntur, & aduerſus fulminis ictum retorquentem naturam habent. Hinc olim nautæ eorundem pellibus vela ſua tegere ſolebant, maliſq; obducere. Quod ſi noſtri ſeculi hominibus cognitum eſſet, non dubito quin maiori in precio haberentur vitulinæ hæ pelles quàm aliæ nonnullæ quibus ad faſtum tantùm vtimur.

DE VSV SYLVESTRIS VITIS AD *dentium dolorem.* XXV.

PLVRIMOS *hodie reperias, mi Philiatre, qui natiuo quodam ingenij vitio, vel data opera, ſi quid ſciant diſſimulent, aut aliis grauentur communicare: ego ab eorum conditione à teneris vſque ſemper fui alieniſſimus, vt qui ſi quid ſtudio, aut longo labore, rerumq; vſu compertum haberem, candidus impertiuerim hactenus, exiſtimãs ſcientiæ abſconditæ (vt eſt apud Eccleſiaſten) & theſauri abſconditi nullam eſſe vtilitatem; ac iam diu certum illud, & infallibile aduerſus dolorẽ dentium ex humorum defluxu remedium, vel te monente omni-*

bus cognitum reddidiſſem, ſi modò certò ſcire contigiſſet, in quem cenſum; arbuſtum hoc, aut frutex, aut vt vt vocare libuerit, reponendum eſſet: nam etſi omnibus notis etiam iis qui rem herbariam non attigiſſent quidem; referret vitem ſylueſtrem, emittit enim ſarmenta vitis modo prælonga, aſpera, lignoſa, ramoſo cortice; tamen quoniam fructus illos exiguis vuis ſimiles non produceret, poſt maturitatem rubentes, quos eidem Dioſcorides aſſcribit, ſubſiſtendum ſtatui, ac tantiſper tempori inſeruiendum, dum propitius aliquis nobis exurgeret genius; qui vltro nodum hunc nobis explicaret: quod non ita dudum vſu venit; dum caſu Serapionis 35. caput de re herbaria legerem, vbi de vite ſylueſtri ſcribens, apertiùs nonnihil, ac clariùs depinxiſſe videtur, dum duas eiuſdem ſpecies, marem ſcilicet, & fœminam delineat, quam aut Dioſcorides, aut quotquot ſunt qui illum præceſſerunt: Dioſcorides ſiquidem cum mare fœminam quodammodo confudiſſe videtur; dum notas quæ vtrique ſpeciei conueniunt, in vnum confert: quod vt clarius fiat, Serapionem loco citato loquentem in medium producemus.

Et ſunt eius duæ ſpecies, inquit, quarum vna non habet vuas, ſed facit flores, & eſt illa quæ dicitur fœmina: & alia quæ profert grana parua, & nigra, ſimilia racemis vuæ paruis, & quãdo ſunt matura, color eorum eſt rubens, & figura grani eſt rotunda, & racemi ipſi, & ſummitates eius ſeruãtur &c. *quam Serapionis ſententiam ſi quis diligentius excutiat mecum, puto inducetur vt credat in capite illo Dioſcoridis De vite Sylueſtri multa deſiderari, quum quæ de rimoſo cortice, & muſcoſo flore idem dicit, fœminæ non rectè aſſcribantur, quanquam doctiſſimus Matheolus, locum hunc Serapionis non animaduertens, loco τὸ βρυώδης, Oribaſii teſtimo-*

nio

nio fretus, βοτρυώδεις legendum cenſeat. Quare rogo eos qui hactenus non ignauam in ſtirpiũ cognitione adipiſcenda nauarunt operam, & qui reſtituendis antiquorum ſcriptis non inutiles horas inſumunt, vt hoc loco genuinam nobis Dioſcoridis lectionem reſtituant. Nam quòd hic frutex, de quo mihi mentio eſt, ſit is quem ſub Sylueſtris vitis fœminæ nomine deſcribit Serapio ille, pluſquam certũ eſt; quũ omnibus notis eius deſcriptioni reſpondeat. Cæterùm quum tota ſua ſubſtantia feruidæ qualitatis, & ſtrenuè calefacientis ſit facultatis, Dioſcorides radicis eiuſdem decocto pro hydragogo vtitur, & nos interiore ſarmentorum cortice ſucci adhuc pleno, maximo ſucceſſu, vel te teſte, in plurimis ad grauiſſimos, & alia quæuis remedia reſpuentes dentium dolores non ſemel vſi fuimus. Atque id quidem eandem præſtare credimus, non per ſpecificam quandam proprietatem, quæ ei inſit, ſed à feruida illa quam ei ineſſe diximus qualitate; qua, quum tenuis ſit & inciſoria, facilè interiora penetrat; & craſſos lentosq́ humores eliciat, & eductioni paratos faciat. Vſus porrò eius talis eſt. Accipis corticis ſarmentorum non rimoſi de quo meminit Dioſcorides, ſed interioris ſcobem, eamq́ in paruum globulum redactam gingiuæ dolenti applicas, atque inibi ſinis tantiſper dum morſus expers ſit, deinde recentem indis, expuens interim ex loco affecto in os defluentem pituitam, cuius maxima, & tenaciſſima mediæ horulæ ſpacio quantitas educitur, quo temporis interuallo malum etiam mitigari ſolet, atque ita vt rarò repetat: quod ita eſſe multi mecum teſtabuntur, qui in ampliſſima ciuitate Gandenſi huius adminiculo à ſæuiſſimis cruciatibus in ſolidum aſſerti ſunt.

DE MEDICAMENTORVM QVOTIDIE *in vſum medicum venientium varietate.* XXVI.

QVÆRERIS, *mi Arnolde, longè aliam in pharmacopoliis veſtris eſſe præſcriptorum rationem, quàm quum primum tabernam tuam inſtitueres, & te, quantumuis apud tuæ profeſſionis homines recenſendus inter infimos non venias, iam tanquam recentem quendam tyronem, varietate quadam, & inaudita medicamentorum ratione obſtupeſcere: Hinc aliis contra Galeni noſtri præcepta, totam Aſiam, atque Europam in vnam confectionem congerentibus, quando tanta elaboratione nequicquã opus ſit, natura ſubminiſtrante ſimplicia, quæ per ſe validiſſimos etiam morbos pellere poſſint, & quæ vel pauperrimus quiſque ſibi ſubminiſtrare poßit: Aliis contrà nihil præter calcinationem, aut ſublimationem quandam in ore eſſe, qui, vt vulgus in ſui admirationem pelliciant, omnia vernaculo ſermone tranſſcribentes, atris tamẽ, denſiſq; nebulis, tanquam inuolucris quibuſdam arcana ſua obnubilant, dum excogitatis, & ſibi tantùm cognitis vocibus conceptam animo rem deſcribunt; non veriti interim receptam iam multis ſeculis therapeuticam methodum, non dico negligere, ſed penitus ſubuertere, atque inuerſo elementorum ordine, præclariſſimos viros, & de genere humano optimè meritos grauiſſimis conuiciis inceſſere, & quantumuis nobis à maioribus per manus tradita ſit vberrima medicamentorum ſyluula, nihil admittere niſi quod ſpagirica arte (ita enim vocari audio) confectum ſit, nihil eſſe purum quod non ſublimatione aliam quandam naturam induerit; hinc ex herbis ſales, ex metallis ab intimis terræ*

viſceribus erutis, flores, oleum atque alia id genus elici, aliis ſuum turbith minerale, aliis antimonij flores, aliis ſuos ſales extollentibus: Hæc quum videas attonito ſimilem obſtupeſcere, præſertim quando longo vſu iam didiceris, quàm varia, quàm multa ſint in pharmacopoliis hactenus obſeruata medicamenta, quæ tutò & citra omnem ſpirituum iacturam nos voti omnino compotes hucuſq; reddiderint, adeò vt non opus exiſtimes tanto ſtudio, & labore paratis medicamentis, & necdum ſatis cognitis, aut expertis. Verùm, mi Arnolde, ſi artis noſtræ immenſam longitudinem, vaſtumq; pelagus ob oculos ponas, non poteris non laudare ſpagiricorum indefeſſum ſtudium, ac diligentiam, ſi intra ſepta ſua ſeſe cōtineant: Sunt etenim plurima eorum inuenta, quæ faciliùs, & multo maiore compendio inſtitutam curationem abſoluerit, quàm hactenus in tabernis veſtris vſitatæ compoſitiones, in quem vſum ego præ cæteris extractiones è margaritis, coralliis atque huius generis commendauero, quibus non inferiores cenſeo herbarum eſſentias, vt vocant: proximo ab his loco habuero ſales ex herbis, quos & Galeni noſtri tempore in vſu fuiſſe ex eius ſcriptis liquidò conſtat; ex lachrymis, ſeminibus, atque adeò ipſis metallis, olea, flores, & tincturas: nam ſicuti in iis quicquid eſt fæculentum & terreſtre, à puro ſegregatum eſt, & aëria, καὶ λεπτομερῆ prorſus ſunt, ita quam facillimè in corpus noſtrum agunt; atque vbi res exigit, humorem noxium educunt. Quare ad eadem vſu exigente, in morbis longis, & qui reliqua medicamenta reſpuunt, confugiendum cenſeo, idq; cum ſummo diligentiq; iudicio; cauentes ne talia propinemus, quæ qualitate ſua aliquo modo noxam corpori inferre poſſint, aut vires alioqui exoluere, aut quæ non ſatis correcta ſint, vel ἐμπυ-

ῥεύματος alicuius participia, vt ferè omnia ſunt, quæ vi ſumma ignis eliciuntur, in quo albo ego vitrum illud ſtibij collocandum cenſeo. Olea autem, & extractiones ſi diligenter præparata ſint, vt ſunt omnis noxæ exortia, ita etiam præſentiſſimo remedio ſunt: ſiquidem guttulis aliquot oleorũ plus effeceris, quàm multis alioqui vnciis in veſtris tabernis vſitatorum oleorum: ac quod de oleis dixi, idem de extractionibus coralli, margaritarum, de herbarum eſſentiis & ſimilibus pronunciandum cenſeo; reficiunt enim (vt alia omittam) quam ocyſſimè, & efficaciſſimè deſtitutos viribus, vt reliquas energias prætercurram. Et quoniam huc iam deuênit oratio, dicendum etiam eſt, de veteribus conſueto diſtillandi modo, quem ecchyloma vocarunt: hic enim talis eſt, vt citra aduſtionis alicuius ſuſpicionem, aut ſimplicis ipſius, vt ſic dicam, ſophiſticationem obeatur: adde quòd & ipſa ſimplicia, naturæ conuenientiora, & gratioris ſaporis, quàm vſitata hactenus medicamenta reddere queat: Atque hæc quidẽ chemica ratione per diploma, quod Balneum Mariæ, aut per fimum equinum, ventrem equi nominant, obitur, iis quæ ſicca prorſus ſunt, atque omni humore deſtituta, in vino, aut liquore aliquo ex vſu artis antè maceratis: ſic liquorem Rhabarbari, colocynthidos, atq. aliorum qui cum gratia quadam, & citra aliquam vellicationem, aut ſpirituum iacturam purgat; elicere poſſumus: atque rurſum iis quæ ſucculenta ſunt, per ſe tantum vaſi diſtillatorio inditis. Quod ſi cui magis arrideat Ioannis de Rupe ſciſſa, ex herbis facultates inſitas, aut quintam (vt vocat) eſſentiam extrahendi ratio, quam per macerationem herbarum in æthere, aut alcohol vini facit, quod aquam vitæ rectificatam appellat, nõ improbo; quum in ea, ſi rectè fiat, cernere liceat veras illas her-

barum tincturas: Atque non ſemel à multis vſque annis magni vſus eſſe comperi, in longis, & curatu difficillimis morbis. Quare ſi quis aut hanc per alcohol vini, vt loquuntur, herbarum energias extrahendi rationem, aut à nobis iam memoratam veteribus quondam vſitatam diſtillationis viam ſequi velit, non erit opus intima terræ viſcera penetrare, aut exotica alioqui medicamēta petere, ſingulis regionibus, atque prouinciis etiam aduerſus indigenas morbos peculiaria adminiſtrantibus remedia. Tu interim vt à teneris aſſueuiſti, ſingula perſcrutare, nec pigeat interdum noua aggredi, nihil dubitans, quin cœptis aſpirabit fortuna. Vale, Gouda Cal. Feb. 1569.

DE VITRO STIBII, AD CLA-*riſſimum med. Doct. Liuinum Sanders.* XXVII.

SCRIBIS *ad me, mi Liuine, me ab annis aliquot dum iſthic tibi adeſſem, inter alia dixiſſe me non omnino infœlici ſucceſſu vitro ſtibij vſum fuiſſe; caterùm diligētiore, quàm vulgus hodie faciat, illius adhibita correctione; cuius à me, tanquam arcanum quoddam, deſcriptionem ſcire deſideras. Ego, mi Liuine, is ſemper fui, quem nō puduit etiam ab imperitiſſimis quibuſuis ſemper aliquid addiſcere, atq. id etiamſi quàm maximè abſurdum eſſe videretur, ſoleo ad medica noſtra theoremata, quantum in me fuit, reducere, ſuſpicatus me priſcorum illorum veſtigiis inſiſtere, qui ſingulorum morborum curationibus in templo Æſculapij deſcriptis, poſteris occaſionem dederunt, experimenta illa ad certas, phyſicasq; rationes traducendi, quod tandem ab Hippocrate noſtro, atque eo poſterioribus longo vſu factum eſſe comperimus. Ac proinde quū idem ſenex doceat artem eſſe longam,*

longam, vitam autem hominis breuiorem, quàm vt artis ipſius ſingula arcana indagare queat, atque adeò vſus ipſe doceat, aliquid ſemper arti noſtræ acceſſiſſe; Mauritanis plurima in vſum medicũ proferentibus, quæ Græcos adhuc latuerunt; & rurſum nouis inſulis myriadem quandam ſimplicium ſubminiſtrantibus, ac poſtremò ſpagiris, vel chimiſtis magna induſtria, & indefeſſo labore è metallis, herbis, & ſeminibus varias medicamentorum formas elicientibus, hoc vnum mihi ſtudio fuit, vt nihil intactum relinquerem: Sed vt omnia quoad fieri poſſet, ſi non cum phyſica ratione, ſaltem cum deliberatione matura, & iudicio exhiberem, ſi quando vſus ita poſtularet: potior enim mihi ſemper fuit vetus illa hippocraticaq; medicina, vt quæ certis legibus, & demonſtrationibus conſtet, quàm noua hæc: quanquam & hanc ipſam viro docto, & in artis theorematibus ſatis verſato, prorſus reiiciendam non exiſtimem. Atque vt tandem petitioni tuæ reſpondeam; fateor, neque inficias ire poſſum, me ab annis plus minus quindecim vſum fuiſſe non infœlici ſucceſſu in robuſtis corporibus qualia Batauia noſtra in ceſpitum fodinis fert. Sed quum vulgus ex vino, aut conſerua roſarum ſolummodo ſtibij vitrum propinare ſoleat; ego pondus trium aut quatuor ad ſummum granorum non excedens, illud attemperare conſueui, cum ſpeciebus diatrium ſantalon, conſerua roſarum & carnibus cotoneorum, ac poſt puſillum temporis, vt facilius ſubſequatur vomitus, ſubieci iuſculum aliquod pingue. Cæterùm poſteaquam comperi varios illos conficiendi modos; & quum viderẽ purgationes, cum magna virium iactura, & ſpirituum exolutione obiri, quanquam incurabilibus alioqui morbis contuliſſet; ab eodem abſtinendum cenſui, ſatiusq; iudicaui Galenicis, aut Ara-

bium remediis tanquam clementioribus cum ratione vti, quanquam ſi res poſceret, tinctura ſtibij, aut floribus, ſi quando adipiſci poſſem, vti maluerim, licet rarò admodum & in caſibus prorſus deploratis; quantũuis in iſtiuſmodi malim in vſum vocare, ſi res chimica exigat, eſſentias, aut ſales herbarum, quibus fœliciſſimo ſucceſſu, in longiſſimis, difficillimisq́ ægritudinibus citra virium aliquod periculum vſi ſumus. Verùm hoc opus, hic labor eſt, ſingula rectè præparata habeas, & præparationis cuiusq́ modum. Siquidem quot ſunt diuerſi extractionis veratri (vt vnum pro exemplo reliquorum ponam) modi! quas omnes ſi inter ſe conferas, videbis alias aliis longè eſſe efficaciores, adeò vt in his medicamentis exhibendis ſummo opus ſit iudicio. Quod ideò dictum nolim intelligas, tanquam te quid facto opus ſit, monere velim, quum eam in te rerum omnium, & præſertim artis noſtræ, cognitionem, & longo rerum vſu experientiam eſſe ſciam, qualem in paucis inuenire liceat: ſed ne me eum exiſtimes, qui, relicta veteri illa, auitaq́ arte noſtra tanquam nimis intricata, & laborioſa, ad compendioſam hanc, & faciliorem, in qua vnum medicamentum, (tanquam dei manus) omnia mala pellere poßit, me tranſtulerim: (nam vt vnum exemplo multorum ponam ſtimmi, vel ſtibium, quod antimonium vocant, omnium rerum humanarũ arcana in ſe continere prædicant, ideoq́ in primam ſui materiam redactum, malitiam cuiuſque morbi aſſumere.) Atque velim intelligas me cum Philoſopho dicere ſolitum, Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas. Hippocraticæ atque Galenicæ medicinæ, vt æquum eſt, tribuo plurimum, atque ſua laude, contrà quàm multi hodie factitant, Arabes ac neotericos dignos cenſeo, ſpagyrisq́ ſuum deberi honorem; vt

qui

qui aſsiduo indefeſſoq́ labore plurima nobis in vſum medicum ſubminiſtrarint: ac poſtremò iis qui nobis ex nuper repertis inſulis varia ſimplicia, quorum hodie vſus paſsim eſt, attulerunt, ſummas referendas gratias. Quare, mi Liuine, hæc tanquam candido animo, & à tui ſtudioſiſsimo ſcripta accipias velim: & à teneris inter nos initam conſuetudinem, frequenti literarum miſsitatione cõtinuare ne graueris. Vale Gouda ipſo Magdalen. 1583.

DE FABA ET NVCE PRÆNESTINA catharticis, aliisq́ ex nouis inſulis allatis ſimplicibus. XXVIII.


VENDICAT ſibi poſt Ægyptios artis medicæ inuentionem Græcia; atq. eiuſdem puriorem doctrinam: iactat Arabum ſchola medicamentorum vbertatem: gaudet & hoc ſeculum artis quadam encyclopedia, hinc Græcis veram artis cognitionem ſubminiſtrantibus, illinc Mauritanis vberem medicamentorum ſyluam ſubminiſtrantibus, ita vt ad ſummum faſtigium atque perfectionem ars ipſa iam nõnullis perueniſſe crederetur, niſi indies noua ſimplicia, & priſcis incognita, inauditaq́ ſeculis quodammodo emergerent; adeò rectè dixit Comicus, quòd vſus, ætas, tempus, ſemper aliquid apportet noui, vt quæ te modò ſcire credas neſcias. Nam quantumuis Arabes medicamentorum copia ac varietate luxurient, videmus tamen hodie multa in communem vſum ceſsiſſe, quæ illi ne attigerint, aut viderint quidem. Quis enim præter neotericos vſitatiſsimi etiam apud triobolares agyrtas ligni ſancti vſum oſtendit? quis radicis Chinæ admirandam facultatem ante Veſalium noſtrũ attigit? quis demum ſpartæ, aut ſarſæ parillæ inauditam atq; ſupra omnem admirationem in eliciendo ſudore vim iam

ante annos aliquot demonſtrauit? quis ante Aureolum Paracelſum antimonio vim purgatricem aſſcripſit? quis vnquam ſulphuri cum cathartica vim bezoarticam attribuit? nemo me hercule, nemo: Videmus tamen eadem in vſum ſedula chimiſtarum induſtria præparari; nam ſtibij præparati ac ſublimati vſus ita vulgaris eſt, vt lippis tonſoribuſq; plusquam notus ſit; & ſulphuris quos vocant flores cum ſuo colchotar, aut alio quouis modo calcinati, & cum croco, aloë ac myrrha mixti, ab omni putredine corpus præſeruant, conceptamq; propellunt; quare iiſdem ad propulſandam, curandamque epidemicam contagem eo modo præparatis, non ſine optimo ſucceſſu vtimur: non raro etiam idem attentant ſolis floribus ſulphuris, citra alterius cuiuſpiam ſimplicis commixtionem, quanquam quoties prædicta iiſdem addita ſunt, longè præſentius remedium euadat. Sed hæc tanquam trita, & obſoleta omittimus: ſiquidem quantumuis priſcis illis incognita, & inaudita fuerint; nouitatis tamen admiratione carent, quòd in omnium manibus verſentur, atque à quibuſuis tractentur: Illa certè quæ non ita dudum in officina Gerardi Regelin pharmapœi Goudani mihi videre cōtigit, omni admiratione digna ſunt. Laudant Mauritani Rhabarbarum quod ſit colore ſubnigro, ruffeſcente, ponderoſum, quamuis ſubſtantia rarum ſit, & quod dum frangitur, ruffo & glauco colore alternante ſpectetur, item quod manſum croceo colore inficiat. Mittunt Oceani recens reperta inſulæ hoc non ignobilius, quod à natali loco mechoacā vocant; vt quod altero clementius aluum ſubducat, & minore cum ſpirituum iactura; quod tamen à notis antè rhabarbaro aſſcriptis diſcrepat plurimum; ex albicante enim pallet, & ſubſtantia vtcunque compactum quum ſit, leue tamen eſt. Fabæ etiam omnes


quarum

quarum antiquitas meminit, quamuis aſtringente facultate præditæ ſint, (faba ſiquidem communiter dictæ quum craßi ſucci ſine vlla abſtergendi facultate prædita ſit, diu in aluo cunctatur, factas fluxiones ſiſtit, inchoataſq́; cohibet: Pontica quoq́; ſeu Ægyptia dicta aſtringendi facultatem obtinet ſtomacho vtilem; quare & dyſentericis, cœliacisq́; prodeſt) affertur tamen ex dictis inſulis faba quædam grati ſaporis colore ex ruffo ſubnigricante, eius quam in ſubiecta tabula depictam vides magnitudinis, & formæ, quarum duæ ſumptæ clementer ac citra omnem moleſtiam aluum ducunt.

Faba cathartica.



Nux præneſtina cathartica.



Habent Mauritani nucem ſuam Indicam, Græcis non ſatis cognitam: tranſmittunt iam nouæ inſulæ nucem, præneſtinæ, aut auellanæ non diſsimilem, quam nec triquetram, nec tetragonam rectè dixeris, quæ ſubducendo ventri planè ſit idonea, adeò vt clemẽtius aliud vix reperiri poßit medicamen. Decantatur à Græcis Cyrenaicum laſer, verùm id Cyrenis defeciſſe ſuo vſq; tẽpore Strabo Geographicæ libro vltimo teſtatur: Arabes etiam ſuum

illud belzoinum laudibus in cœlum efferunt, quod laſerpitium eſſe putarunt quidam; quorum opinionem apertiſſimè, ac doctiſſimè diluerunt clariſſimi noſtræ ætatis medici, Ioannes Langius, & Andreas Mathiolus Senenſis, atque vt falſam exploſerunt. Aduehuntur ad nos è nouis illis inſulis ferulaceæ, vt apparet, lachrymæ, quæ laſerpitio, aut belzoino haud quaquam inferiores eſſe videntur; nam quam vocabulo barbaro caranna vocant, ruffa prorſus eſt, atque tranſlucens, odore etiam valens myrrhæ æmula, omnes laſerpitij notas referens, præterquam quòd diluta non protinus albeſcat. Præterea gummi illud quod Tathamaaca dicunt, tranſlucidum eſt, grato odore, non ſecus ac prius myrrhæ æmulum. Præter hæc tranſmittunt eædem inſulæ ambram quandam liquidam ſuauiſſimi odoris, ſtactes æmulam, picei coloris, ac ſaporis non ingrati; quæ quidem vt omnes ferè notas, ac qualitates laſeris, belzoini, & ambari referunt, ita eaſdem planè, aut ſimiles facultates (ſi non plures) obtinere veriſimile eſt, adeò vt iis, ſi quando res exigat, tanquam ſuccedaneis vti poſſimus, quoties aliorum copia non ſuppetit. Speramus tamē aliquando emerſurum aliquem, qui natales, formam & vires horum, & id genus aliorum ſimplicium ſigillatim explicabit, cui procul dubio tantum debebit poſteritas, quantum nos Mauritanis, quòd caſiæ, myrobalanorum, atq; aliorum nonnullorum vſum mortalibus communicauerint.

DE HALECE AN EDENDO SALVBRIS ſit. ad D. Iuſtum Walthuſium Cancellarium Brunſuic. XXIX.

QVANQVAM apud omnes receptum ſit, mi Walthuſi, nomen halecis pro piſciculo, quem haryngam

ryngam vocamus; non deſunt tamen qui balecem aliud eſſe contendant, idq́ eò potiſsimùm quòd Plinius alecem gari imperfectam, nec colatam fecem appellet; & Columella libro octauo halecúlas, & haleces inter ignobiles, minutulosq́ piſces, atque eos qui quodammodo riuales ſunt, recenſuiſſe videatur. Adde quòd Paulus Iouius, & Theodorus Gaza τὰς μαινίδας (Italis menolas dictas, quæ multum ab Harengis noſtris differunt) haleces eſſe contendant: nam Gaza paſsim apud Ariſtotelem τὰς μαινίδας, manas, & haleces reddidit, καὶ τὰ μαινίδια haleculas appellat. Nos has de nomenculatura poſt tergum relicta cõtrouerſia, halecem appellamus piſciculum, longitudinis pedalis, aut ſpithami, quem Flandri atq. Hollandi, negociationis ergò ad Cimbrica, Boruſsiæ, Noruegiæ, Daniæq́ littora tranſuecti, à ſolſtitio æſtiuo ad æquinoctium autumnale expiſcantur, captúmq́ vaſis includũt, ac ſale condiunt, patrioq́ vocabulo Harengam nominant. Hunc nonnulli vt inſaluberrimum, febribusq́ generandis aptiſsimum, commodiſsimumq́ reiiciunt, & ſi quando deguſtarunt, expuere non verentur; non ſecus quàm Philippus ille; qui quum apud hoſpitem cœnaret, appoſitumq́ ex vicino flumine lupum deguſtaſſet, atque eundem expuiſſet, dixiſſe fertur, Peream niſi piſcem eſſe putarem, ac ſi ex piſcium eſu corpora mortalium corrumperentur, ac putribus implerẽtur humoribus. Vrbano certè, ac ſalſo, verùm luxus pleno dicterio improbũ ſuum factum proſequutus eſt Philippus: Eſt nanque & piſcibus ſua vtilitas: etenim quamuis ſanguis qui ex piſcibus gignitur, tenuior ſit quàm qui ex terreſtribus animalibus, pollent tamen propemodum vniuerſi bonis ſuccis, vel ipſo Galeno libro De bono & malo ſucco auctore, exceptis iis tantùm qui vitam degunt in ſtagnis, paludibus, limoſisq́,

Huc alludit Gallicum illud prouerbium, *Poiſſon poizon*.

limoſisq́ʒ, ac turbidis fluuiis. Vnde colligere poſſumus halecem noſtrum inter improbi ſucci cibos nequaquam eſſe reponendum, quanquam non tantùm vulgus, ſed & medici plæriq; contrarium pronunciare audeant. Si etenim Galeno atque priſcis omnibus quotquot ſunt, inter piſces optimi cenſentur pelagici, atque ij potiſsimùm qui in procelloſo, & ventis expoſito mari degunt, & qui mollem teneram carnem habent, & ſquammoſam non glutinoſam, non olidam, neque nimis pinguem, & quæ in aëre non alteretur confeſtim, corrumpatúrve, & quæ guſtu ſuauis ſit, & pelle ſeu cute tenui integatur, halec certè inter boni ſucci cibos numerãdus erit, vt qui tardè putreſcat, alteretúrue. Videmus enim quotidie piſcatores noſtros reditum meditantes, recentes haleces ſale non aſperſos, rudentibus, aut aliis funibus appenſos, ad duos, tres, aut eò amplius dies, incorruptos citra odoris alicuius, aut ſaporis gratiam, ſeruare: huc adde quòd & ſquammoſus ſit piſciculus, & tenui cute mollẽ, friabilemq́ʒ carnem contectã habens; quibus ſi natales adiicias, mare videlicet purũ, & quod arenoſa, aſpera, lapidoſaq́ʒ littora, atq. ipſas interdum rupes ambiat, & ventis vndiquaque expoſitum, boreæ potiſsimùm procellis agitetur, nõ video quî aliquo modo reprobari poſſit halec; quando quæ ad piſciũ bonitatẽ requiruntur, natura huic piſciculo omnia contuliſſe videatur, & in eum tanquam promptuarium quoddã omnia dona recondidiſſe, adeò vt ſi ſuperuiueret Simeon Sethi, non vereretur piſciculũ hunc ab omnibus exploſum, & reiectum, ex morbo cõualeſcentibus exhibere: is ſiquidẽ piſces vtiles eſſe dicit iis, qui nec exercentur, nec robuſti ſunt, atq. iis qui ſeſe de morbo reficiunt. ὠφελοῦσι γὰρ, *inquit,* οἱ δηλωθέντες ἰχθύες τοὺς ἀγυμνάστους, καὶ τοὺς τὴν δύναμιν ἀσθενεῖς, καὶ τοὺς ἀνακομιζομένους ἀπὸ

νόσου,

νόσῳ, οὐδὲν γὰρ ἄλλο ὑγείας τηρητικὸν ἢ τὸ εὔχυμον αἷμα.
Vide quaſo quo elogio vir hic piſcium eſum celebrauit! vide quàm vtiles eoſdē eſſe dixerit, iis qui aut ocioſi ſint, aut quibus ex morbo collapſæ ſint vires. Atqui hæc omnia, inquiunt, nihil ad haleces: videmus enim multos halecis vſu ſi intemperantius ſumpſerint, in quartanas aliasq́; incidere febres. his addunt, quòd ſi olidi piſces reiiciendi ſunt tanquā inſalubres, halec quoq. repudiandus erit, vt qui dum aſſatur, ingrato odore nares feriat. Non poſſum inficias ire, quin hæc ita ſe habeant; verùm etſi quam maximè ita ſint, númne igitur ſtatim velut improbi ſucci reprobādus veniet halec? Anne audiſti aliquando ex putidi oui, aut in grumos concreti lactis eſu multos in grauiſſima incidiſſe ſymptomata? númne igitur incuſandus erit lactis vſus? númne igitur reiicienda erunt oua? quæ quòd ocyſſimè corporis noſtri ſubſtantiæ aſſimilantur, inter reliquos plurimum commendantur cibos. Et tamen hæc eadem etſi quamminimè vitiata, aut corrupta fuerint, ſi in iuſto calidiorem ventriculum inciderint, in bilem conuertentur, atq. improbi ſucci cauſſa erunt, quum aliàs ſi probum temperatumq́; ſtomachum ſortita fuiſſent, laudatiſſimum ſuccum generaſſent: & quod de lacte, ac ouis dico, idem de halece, atque reliquis pelagicis piſciculis pronunciandū cenſeo: Siquidē quemadmodum teneræ ſunt carnis, ita etiā facilè alterantur, atq. ob id Simeon Sethi, ocioſis dandas dicit, atq. iis quibus non æſtuat ventriculus, nec validæ ſunt vires: nam alioqui, ſi æquo calidiorem ventriculum fuerint nacti, non ſecus quàm oua, aut lac, leuiſſima de cauſſa vitiantur; optimi nanque cibi, ait Galenus, ocyſſimè corrumpuntur. Quanquam veriſimile quoq. ſit, eos qui ex halecis eſu febricitant; in non probè ſalitos, aut putredinis

alicuius participes incidiſſe: Huiuſcemodi etenim grauiſſimorum, ac peßimorum ſymptomatum cauſſa eſſe poſſunt, quemadmodum etiam illi qui nimio ſale indurue-runt, atq. exucci ſunt, vt fumo incruſtatos taceam, quibus inſalubrius nihil eſt: Nam alioqui videmus indies multos grauiſſima febre, aut aliis morbis detentos, ſolius halecis comeſtione priſtinam recuperaſſe ſanitatem. Puto igitur in ſanitatis regimine non prorſus alienum halecem, ſi modò modico aſperſus ſit ſale, neq. putidum quid oleat; per ſe enim putidus haudquaquā eſt; nam qui dum craticula aſſatur, nares feriens eſt nidor, oritur ex eiuſdem pinguedine in prunas prolapſa, quæ, ſicut omnia pinguia, ingrato quodam odore culinas ſtatim inficit. Si cui igitur hic odor ſuſpectus ſit, poterit halece ex aqua elixo potius quàm aſſo veſci.

NVM PISCES PELAGICI ÆGROTIS *adminiſtrari poßint. Ad Antonium Buſennium.* XXX.

QVOTIES *aliarū diſciplinarū conditionē animo voluo, mi Buſenni, non poſſum non noſtram, licet antiquiſſima ſit, & celeberrimos ſemper habuerit cultores, deplorare, vt quæ fœliciſſimo hoc ſæculo, quo omnes ferè artes ad ſummū apicem peruenerunt, Veſpillonum quorundam, aut circumforaneorum agyrtarum næuis ita aſperſa ſit, vt eius genuinā faciem vix agnoſcas, adeò vt ſi quis iis explanandis admoliri manum velit, Augiæ ſtabulum citiùs expurgarit, præſertim quādo ſingulis prouinciis, ſingulis ciuitatibus ſui nō deſint errores, quos ita mordicus tuentur, vt ab iis vel latum vnguem diſceßiſſe piaculi loco habeant: adeò rectè Plinius dixit, ſummæ eſſe impunitati nōnullis occidere. Audimus enim*

paſſim vel in ipſis tonſtrinis, neſcio quo elogio decantari fluuiatiles piſces, adeò vt his inter reliquos omnes palmam concedere non vereantur, atque hos ſolos in ſanitatis vſu commendatos habere, eosq́; vel reclamantibus medicis, neglectis pelagicis, ægrotantibus proponere, quòd marini, vt ſibi perſuaſerũt, piſces fluuiatilibus excrementitij magis ſint; & corpus concutere, atque exagitare ſoleant non ſecus ac pelagus ventorum procellis agitatum. O præpoſterum iudicium, & talibus viris dignum, quos Bœotũ iurares in craſſo aëre natos! ô homines elephanti corio tectos, &, vt habet Lucianus, verè προσεληνεῖς*! quis vnquam niſi planè ſtolidus talia pronunciauit, quis pronunciata in medium proferre audeat? quum quotquot ſunt qui de piſcium natura ſcripſerunt, pelagicis primas tribuant? qui quoniam ſciebant fluuium fluuio, & mare mari præſtare, pelagicos in petræos diuidebant, atque eos qui purum mare incolunt: nam quemadmodum Athenæus ex Diphyli medici commentariis inquit,* τῶν θαλαττίων ἰχθύων οἱ μὲν πετραῖοί εἰσιν εὔφθαρτοι, εὔχυλοι, σμηκτικοί, κοῦφοι, ὀλιγότροφοι· οἱ δὲ πελάγιοί εἰσι δύσφθαρτοι. *Et Cornelius Celſus libro ſecundo, Leuior, inquit, piſcis inter ſaxa editus, quàm in arena; in arena quàm in limo; quo fit vt ex ſtagno, vel lacu, vel flumine, eadem genera grauiora ſint, leuioráq; qui in alto, quàm qui in vado vixit. Præterea Aëtius; In vniuerſum, inquit, illud ſcire oportet, quòd optima caro eſt piſcium in puro mari viuentium, magisq́; vbi locus is ventorum procellis agitatur, neque terrea neque leuia littora aquam ambiant, ſed arenoſa, aut aſpera & lapidea. Adde quòd Galenus de bono & malo ſucco dicat, inter piſces eos qui marina fluuiatilisq; aqua victu vtantur, pelagicos non ſolum odoris gratia, ſed & ſaporis ſuauitate, fluuiatilibus*

longè

longè eſſe ſuauiores: Si enim, inquit, animalium ex iis aliquod fuerit, quæ vtriuſq. aquæ victu fruantur, quemadmodum mugil, lupus, cancri, globij, murena, anguillæ; interrogandum primùm eſt vnde capti fuerint, poſt hac ex odore, & guſtatu iudicium de eis ſumendum eſt; ſiquidem grauiter olent, inſuaueſq; & muccoſi exiſtunt quicunque in deteriore aqua viuunt, & cæteris plus habent pinguitudinis, & ſtatim putreſcunt. E puro autem mari, nec odoris, nec ſaporis gratiam improbabis, pinguedinisq; aut minimum, aut nihil omnino erit, & longiore tempore putredinem non ſentient. Vides quàm ſint hac clara, & multorum teſtimoniis comprobata; nam etſi quam maximè rapido fluuio, & qui vrbium ſordibus, ac cloacis nondum ſit inquinatus, piſces capti ſint; longè tamen infra ſaxatiles, vel pelagicos cenſentur; ſunt etenim excrementitij magis, & ſucci prauioris, & difficiliùs concoquuntur; vt eos interim taceam qui vitam degunt in limoſis, ac turbidis fluminibus, magnam populoſamq; vrbem aliquam præterfluentibus: Salſus ſiquidem maris liquor, & procellarum iugis agitatio, viſcidum, ſi quis is ſit, mucorem extenuat, ac digerit, & quodammodo exugit. Atqui quos pelagus piſces dat, maiores ferè ſunt quàm quos fluuij; ac proinde craſſioris ſucci, vnde ægris qui tenuem victus rationem efflagitant, non ſatis conueniunt. Negare equidem non poſſum, quin pelagus monſtrorum parens, beluas marinas, cete, orcas, flatores, & id genus alias producat; quæ vt ſunt craſſi ſucci, & valenter nutrientes, ita ægris nequaquam cōcedendæ ſunt. Verùm certum eſt idem mare alios etiam producere piſces, quos in cenſum mediæ materiæ Celſus, atque Pſellus referunt, quales ij ſunt ex quibus ſalſamenta fieri non poſſunt, atque alios his adhuc minores, quos imbecilliſſimæ eſſe ma-

teriæ

teriæ dicunt, quos iidem imbecillis hominibus rectiſſimè adminiſtrari aſſerunt. Imbecillis enim hominibus, (inquit Celſus) rebus imbecilliſſimis opus eſt. Adde quòd lupus, mugilue pelagius multo ſit ſalubrior, & minùs excrementitius, quàm fluuiatilis, ſicuti iam ex Galeno retulimus; nam & ſicubi in pelagus exonerantur flumina, piſces à pelagicis multum differunt, & ſucci bonitate illa deſtituuntur, inquit Æginetà. Poterit igitur quiuis languidulos, atque ægrotantes marinis reficere piſciculis: Siquidem quum frigidioris, humidiorisq́ temperamenti ſint, conuenientiſſimus cibus febrientium erit; humidus nanque victus, teſte Hippocrate, febricitantibus conuenit, & iis qui tali victu vti conſueuerunt.

QVARE APVD AMSTELREDAMVM, *Alcmariam, atque alia vicina loca, magis quàm aliis locis familiaris ſit ſcorbutus: ad Hadrianum Iunium.* XXXI.

QVANQVAM *petitioni tuæ commentariolo noſtro de magnis lienibus ſatisfactū ſit, mi Iuni, attamen ne æqua quodammodo poſtulanti, aliqua ratione defuiſſe videar, paucula quædam quæ auctarij loco eſſe poſſint, ſcribemus. Apud omnes igitur receptū eſt, aquas alias, aliis longè eſſe tum ſalubriores, καὶ ὀξυπορωτέρας: Siquidē vt pluuiæ reliquis magis tenuium ſunt partium, ita faciliùs ſecernuntur, & præcordia minùs inflant. Stagnantes contrà omnes vt pigræ, καὶ παχυμερεῖς, ab omnibus reiiciuntur: videmus enim ſæpenumero obſtructis meatibus, eos qui vberiùs eiſdem vtuntur, depoſito natiuo colore auriginoſum quendam induere, quemadmodum de Phaſis accolis meminit Hippocrates; vnde non*

immeritò Plinius, vel ipſos fontes qui cœnam faciant, damnat. Huc adde quòd præter eas quæ à qualitate ſumuntur aquarum differentia, pro quorundam etiam locorum, aut temporum diſcrimine varios ſortiantur effectus. Plutarchus enim in vita Craſſi Lucanam paludem mutatione temporis dulcem, rurſus ſalſam, & potui incommodam fieri aſſerit: præterea idem in vita Antonij recitat Antonianos milites in inedia montanum ingreſſos iter, poſt longos labores ac intolerabilem ſitim, tandem perueniſſe ad fluuium, cuius aqua erat quidem frigida, & pellucida, ſalſa tamen & venenoſa; nam bibentibus, inquit, ſtatim tormina ciebat, ſitimq́ inducebat. Auctor eſt etiã Strabo duos eſſe amnes in Nigroponto, Cerum & Neleum, diuerſarum naturarum; nam ſi animalia ex vno potent, pilos eorundem albeſcere, alterius autem aqua ebibita nigreſcere. Rurſum, ſi Plinio credimus, in Campania aquæ ſunt, quæ ſterilitatem fœminarum aboleant: Theſpiarum etiam fons conceptus mulieribus repræſentat: in Ægypto potu fœtifer Nilus eſſe traditur; Linusq́ fons in Arcadia partum cuſtodire fertur nec abortus pati: Adeò vt mirum non ſit lacuſtres aquas pro loci differentia alias aliis ad ſplenetidum procreationem longè eſſe oportuniores. Quod & quotidiana docemur experientia: ſiquidem quum aliis prouinciis ſua non deſint ſtagna, & lacus; raras tamen, aut nullas prorſus in iiſdem ſceletyrbas videre mihi contigit, antequam contagione malũ ſemper vlteriùs ſerperet: In Hollandia contrà, tum ob patrij ipſius ſoli (vt quod ab aliis planè diuerſum eſt gleba nec argilloſa, nec ſabuloſa, nec arenoſa, ſed caua quodammodo, & pumicis modo rara conſtans) tum aquæ quæ terræ naturam imbuit qualitatem ſæpiſſimè inuadunt, & quo ſunt lacuſtres magis, aut paluſtres

ſtres loci, hoc etiam frequentiores ſunt ſcorbuti. Nam quanquam Hollandi omnes, ac Phryſii eadem penè victus ratione vtantur, ac ſub codẽ verſentur climate; videmus tamen alios aliis ſceletyrbe aut ſtomacace citiùs, ac frequentiùs apprehendi; nam & qui Alcmariam, Amſtelredamum, & loca his vicina inhabitant, multo periculoſiùs, & frequentiùs ſceletyrbe afficiuntur, quàm qui aut Goudam, aut Rotterodamum incolunt: atque hi rariùs adhuc ſplenitide laborant Dordracenſes: ſiquidem quum vndiquaque celeberrimis atque rapidiſsimis fluuiis alluatur Dordracum; veriſimile eſt ciues fluuiatilem illam aquam in coctũram ciborum aſſumere, quæ vt ſtagnante tenuior eſt, & facilioris concoctionis, ita etiam viſceribus non vſque adeò grauis eſt, neque vti ſtagnans in corpore diu hæret: vt interim loci ipſius naturam ab Amſtelredamenſi & Alcmariano agro nõnihil diſsidentem omittam. Si quis igitur ſecũ perpendat quàm ſit homini neceſſarius vſus aqua, non mirabitur pro aqua ipſius qualitate gigni morbos: nam & Hippocrates plurimã partem ad ſanitatem eaſdem conſerre dicit, præſertim quando certum ſit, ſiue bibendum, ſiue edendum ſit, aqua in totum nos carere non poſſe: nam & cibos aqua coquimus, & cereuiſiam, atque, quod omnium peſsimum eſt, crudam interdum bibimus aquam, quo ad ſplenitidum, vel ſcorbuti generationem, vel ipſo Hippocrate teſte, nihil facit magis.

DE LVMBAGINE ET TABE DORSALI: *ad Gerardum Regelin.* XXXII.

QVERERIS, *mi Gerarde, te ex torminibus, teneſmo, ac grauiſsimis circa præcordia doloribus quodammodo rediuiuum in alium morbum, qui variis*

modis te excruciet atq; lancinet, tanquam ex Charybdi in Scyllam quandam decidiſſe, ac medicos veſtros neſcio quid de inſtante renum inflammatione præſagire; quòd dolor, qui te affligit, à ſcapulis ad lumbos, atque adeò ad ipſa oſsis coxendicis acetabula diſcurrat. Verùm ego ſicuti illorum doctrinam & exactiſsimum iudicium probè perſpectum habui, non potui in animũ induxiſſe meum, illos tale quippiam de præſenti morbi ſtatu præſagiſſe; quin potiùs veriſimile eſſe iudicaui, te non ſatis animaduertiſſe, aut intellexiſſe quid dixerint: quando certum ſit in inflammationibus, obſtructionibus, atque adeò omnibus renalibus affectibus, dolorem fixum eſſe in loco, nec incertis vagari ſedibus, quemadmodum in tuo morbo fieri aſſeris: nec dubito quin erroris occaſionẽ tibi præbuerit lumborum, & renum nomen, quod apud practicos aliquot medicos indifferenter pro eodem (quanquam non ſatis appoſitè) hodie vſurpari videmus. Quando igitur poſtulas, vt & meam tranſcribam cenſuram, quanquam præſto adſint medici doctiſsimi, qui tibi abunde ſatisfacere poßint; tamen antiquæ illius conſuetudinis memor meo non deero officio. Morbus ergo etſi longè à nephritidis abſit natura; talis tamen eſt, qui non omnino parui pendendus ſit, Latini Lumbaginem vocant, Græci λορδωσιν, Hippocrates tabem dorſi, aut ſpinæ, aut oſsis ſacri appellare maluit; eſt Hollandis tum propter victus rationem, tum propter loci ipſius qualitatẽ vliginoſam prorſus familiaris planè, ac propemodũ indigena, quanquam & aliis locis eos inuadere ſoleat, qui Venere immoderatiore vti conſueuerunt: nam, vt libro ſecundo De morbis idem ſenex auctor eſt, corripit maximè ſponſos, & Veneri deditos, proditq; ipſis genitale ſemen multum, ac liquidum, & genitura in vtero non manet, & in ſomnis

ſemen

ſemen profundunt, ſiue dormiunt cum vxore, ſiue non. Verùm hanc tabis dorſalis ſpeciem non eſt quod metuamus, quando veriſimile magis ſit, morbum tuum originem traxiſſe à materia pituitoſa ſanguini, aut flatibus, aut melancholiæ mixta, per modum catarrhi à capite per venas in ſpinalem medullam defluente. Siquidem quum ſeptem ſint catarrheumaton, aut defluxionum ſpecies, vt auctor eſt libro De glandulis Hippocrates, quibus cerebrum ſeſe exonerare ſolet, per nares dico, per aures, per oculos, per palatum in guttur, & gulam, ac reliquæ per medullam ſpinalem, & ſanguinem: neceſſum eſt locum in quem defluxio decumbit, variè affici, pro materiæ ipſius tum qualitate, tum quantitate; nam ſi recrementa aut ſordes quæ à cerebro in aliam partem defluunt, nõ prorſus maligna ſint, ac quantitate paucæ, dolor ipſe, & affectus talis erit, qui à natura facilè euinci, ac diſcuti poſſit: ſin excrementa tum qualitate, tum quantitate peccent; credendum eſt eadem grauiſſimorum ſymptomatum occaſionem præbitura. Ac proinde quoniam reliquis ſex omiſsis, de ea tantum defluxionis ſpecie, quæ à capite per venas in ſpinalem medullã fit, nobis ſermo eſt; ſciendum eſt, quòd quoties lenti ac frigidi humores in ſpinam decumbunt, vicinas partes primùm occupare, atque afficere, quæ niſi ita robuſtæ ſint, vt conceptam materiam ſtatim euincere, ac diſſipare poſſint, eandem ad ſubiectas ac maximè vicinas partes viciſſim tranſmittunt, quæ dum neruoſum genus diſtendit, grauiſſimis doloribus totũ hoc corpuſculum lancinat; incipiendo à ſcapulis, ac ſenſim ſerpendo ad lumbos, atque interdum etiam ad ipſum os coxendicum; atque ita affecti vix progredi, aut ſeſe loco mouere poſſunt; atque hanc quidem affectionem propriè Lumbaginem vocamus: ſi quis tamen neotericorum gut-

tam dicere malit, quòd tanquam gutta à cerebro defluat humor, rectiùs fecerit, quàm ij qui generaliter ad omnes articulorum dolores nomen guttæ vſurpandum cenſent. Hoc cum quartana commune habet morbus, quòd omnibus anni temporibus inuadat, æſtate tamen breuior ſit, autumno longior; maximèq́; ſi hyemem attingat. Ceterùm ſi acrior ſimul, & tenacior ſit humor is qui à cerebro defluit, atque maiore cum impetu feratur, iam nō ſolùm in ſubiectam ſpinam decumbit; verùm etiam in acetabula oſſis coxendicis, ac tum demum tabem ſpinalem, aut dorſalem, aut oſſis ſacri Hippocrati dictam conciliat, malum tale, in quo vitam morte commutare pro ſolatio ſit, quando ſemper magis ac magis ingraueſcentibus doloribus requiei tempus nullum concedatur; nam vt libro De glandulis ait Hippocrates, Oritur morbus ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam; inde autem in ſacrum os impetum facit, quo medulla ipſa fluxionem producit, & in coxendicum acetabula, ſeu iuncturas deponit, & ſi tabem fecerit, homo macreſcit, atq. hoc modo contabeſcit, & viuere non expetit: ſtatim enim ſcapulæ dolent, amboq́; pedes, ac crura ſubſequuntur, & ſemper tandem pereunt multo tempore curati, atque ſic defloreſcit homo, ac moritur. Habet præter cætera cum tabidis commune vitium hoc, quòd autumnus ei magna ex parte exitialis ſit, ver autem ad pharmaciam oportuniſſimum. Porrò quòd ſpinalis medulla areſcat, atque marceſcat, in cauſſa eſt obſtructio orificiorum, ac venarum, atque vaſorum à cerebro ad ſpinam ſanguinem atq. ſpiritum deferentium; quo fit vt curandi methodus in eo conſiſtat, vt reſeratis poris materia peccans euacuetur: quod ſi plethoricum quoque corpus ſit, tundenda ante omnia vena erit, aut humeraria dexteri brachij, aut me-

dia ſiniſtri, aut etiam ſi vſus exigat, poplitis; & ſi fortè ora illa venarum, quas hæmorrhoides Græci appellant, tumeant, conſultum erit eaſdem quoquo modo adaperire. Solet enim, vt antè diximus, Lumbaginis cauſſa eſſe humor melancholicus, qui quamuis craßior eſſe videatur, quàm vt commodè ad ſpinam tranſmitti queat; quotidiana tamen experientia ita fieri poſſe docet, quemadmodum in ſceletyrbe noſtra annotauimus, & Galenus commento tertio in primum Prorrheticon Hippocratis apertè demonſtrat, dum dicit, Lumbis dolentibus expectandam euacuationem per hæmorrhoides; quòd propter earundem retentionem, non rarò doleant lumbi; magisq́ ſi eius temperatura qui ita àfficitur, melancholica ſit, aut ſi abſcedentes (vt ſic loquar) præcedentis morbi reliquiæ ad ora illa venarum delatæ exitum non habeant, quod & tibi accidiſſe ipſe, ni fallor, meminiſti. Poſt ſanguinis igitur extractionem, decoctis res tentanda erit, quæ materiam reddant fluidam; deinde medicamenta purgantia pro humoris peccantis ratione propinanda erunt, incipiendo à clementioribus, ſemper habita ratione capitis tanquam partis primariò affectæ: deinde ſi res exigat, fortioribus etiam vtendum erit; in quem vſum Hippocrates elaterium ſuum ſummè commendatum habet: ego magis probauerim globulos ex agarico cum turpethi portione aliquantula maceratos, idq́ aut in decocto foliorum ſenæ; cui nonnihil ſeminis aniſi, aut fœniculi additum ſit, aut alio quouis prout res exigere videbitur. Poſt purgatum corpus conſultum erit fomentationibus, frictionibus, inunctionibusq́ vti, quæ ſimul & euocent materiam, & dolorem mitigent, & robur addant affectæ particulæ. Poterit etiam in eundem vſum, ſi locus, tempus, atque ægri conſuetudo admittãt, præparari bal-

neum aut aquæ dulcis, aut quod artificioſè confectum ſit ex verbena, roſis, ſaluia, libanotide, chamæmelo, meliloto, atque aliis id genus aquæ incoctis. Quod ſi per ſe non ſatis fluxa ſit aluus, ſuadet Hippocrates, vt eandem iniecto lacte eluamus. At ſi fortè humor tenaciùs inhæſerit, atque altiùs quodammodo radices fixerit, impactusq́ fuerit, ac flatus vtcunque particeps fuerit, non ſolùm iam dictis hypotheſibus exequendum erit negotium; verùm etiam medicamentoſas illas cucurbitulas in vſum vocare par erit, vt videlicet humor ille illarum attractione foras euocetur; cautione interim habita, ne copioſior ſit materia, quàm vt commodè per eaſdem educi poßit; alioqui enim periculum eſſet, ne nouus quidam fomes morbo ſuppeditaretur. Victus ratio incidens, atque attenuans, & quæ non omnino tenuis ſit, iniungenda eſt: protenditur enim malum hoc, vt reliqui articulares morbi vt minimum in vigeſimum diem, vt plurimum in quadrageſimum, quanquam non rarò metas has tranſiliat atque excedat. Potus ſit interim vinum ὀλιγοφόρον, interim cereuiſia tenuis diligenter cocta: ſomnus ſit temperatus, & qui ciborum concoctioni ſufficiat; nimius enim catarrhis cerebrum reddit obnoxium. Exercitium moderatum eſto pro virium robore, ac tolerantiæ ratione citra defatigationem. Tu interim vale, atque id cura vt pro valetudinaria, quàm ocyßimè athleticam corporis conſtitutionem nobis offeras. Lysfeldio Idibus Ianuar. 1568.

SCELETYRBEN AC STOMACACEN DI*ctam,eſſe magnorum lienum accidentia, nec eſſe diſtinctum morbum ſcorbutum à magnis Hippocratis lienibus: ad Cornelium Heydium.* XXXIII.

QVAS *Wieri noſtri obſeruationes medicas ad me miſiſti, mi Heydi, legi, atque maximi lucri ac laudis loco duco tali viro iam iterum ſi non per omnia, ſaltem aliqua ex parte noſtros de ſcorbuto labores placuiſſe. Is etenim nunquam fui qui tantum mihi tribuendum cenſui, vt ſi quid à me aut dictum, aut ſcriptum eſſet, ſi non calumniam, ſaltem cenſuram aliorum ſubterfugere poſſe crederem: Soleo nanque rationem, atque adeò veritatem ipſam ducem ſequi, atque quàm maximè gaudere ſi quando à quoquam cum ratione redarguar. Cæterùm quòd ille mecum diſſentire videatur, in eo quòd omnes morbos qui mortale genus hodie affligunt, ad aliquem eorum qui à veteribus deſcripti ſunt reducere coner, non eſt quod diluam; quando in miſcellaneis ſuis diſertiſſimè demonſtrarit doctiſſimus Langius, nullos hodie exoriri morbos, qui non fuerint priùs, aut quorum veſtigia antè aliqua ex parte non apparuerint: Nam & Hiſpanicam luem, quam omnes ferè vno ore nouum, & anteactis ſeculis incognitum morbum appellant, farraginē quandam multorū in ſeinuicem mixtorum morborum eſſe dicit, mentagræ dico, lichenis, Græcorum lepræ, phlyctænarum, ſerpiginis, exanthematum, atque id genus aliorum. Neque id iniuriâ, quando Sapiens veriſſimè dicat, nihil eſſe ſub cœlo quod non anteactis ſeculis fuerit; & Comicus aſſerat, nihil dictum modò quod non dictum ſit priùs. Siquidem ſi quis ſym-*

ptomata ſudoris Anglici, quem velut nouum inauditumq́ anno ſalutis 1528 *omnes admirati ſunt, omnes veriti ſunt, cum febre typhoede, aut ſudorifera conferat, parum admodum, aut nihil differre comperiet, quando in hac non ſecus ac ſudore illo Britannico, vniuerſum corpus copioſo ſudore madeſcat, atque exoluatur. Verùm quod is aliter quàm ego in noſtris de magnis Hippocratis lienibus, commentariis aſſerui, alium dicat eſſe morbum à ſcorbuto magnos lienes Hippocratis, ni vanitatis redargui velim, cogor paucis noſtrā ſtabilire opinionem. Nam quanuis mihi vitio vertendum non erat, quòd per omnia ſcopum ipſum non attigiſſem, vt qui primus hanc ſecuerim glaciem, atq. aliis inuentis addendi occaſionem præbuerim; tamen quoniam is qui certiſſimis coniecturis, ac rationibus ſua fulcire ſolet, mihi non ſatis hac in parte ſatisfeciſſe videtur, tacendum minimè videbatur. Quod ita dictum nolim tanquam ſimiæ in morem mei mihi placeant catuli: hoc enim ſanctè deierare auſim, me, ſi doctiſſima eiuſdem ſcripta, aut longo vſu obſeruatas curationes, ante noſtros in publicum diuulgatos de magnis lienibus cōmentarios aut legiſſe, aut vidiſſe contigiſſet, nunquam ne cogitaturum quidem fuiſſe quicquam de ſcorbuto in medium proferendo, quando Wieri tanta ſit apud eruditos æſtimatio, vt ei contradicere ſumma quodammodo ſit religio; tam exquiſitum in rebus ambiguis iudicium, vt illi refragari pro inſcitia habeatur; tanta reconditarum rerum (vt omnia vno complectar verbo) cognitio, vt nihil ferè ſit, quod eum ſubterfugere potuerit. Sed vtut eſt, mi Corneli, amicus Socrates, amicus, vt inquit ille, Plato, magis amica veritas. Neque dubito illū, vt eſt candidus prorſus, iniquiore animo laturum aſſertionem meæ opinionis, quàm me illius taci-*

tam

tam reprehenſionem; nec tam vereor illius excandeſcentiam, quàm quorundam calumniam, qui nos de lana caprina diſceptare clamitabunt, quando in remediorum exhibitione inter nos conueniat, in morbi ipſius denominatione controuerſia ſit, dum vnus ſcorbutum tanquam nouum & veteribus inauditum morbum appellat; alter ad Hippocratis magnos lienes eundem reducere conatur, dum ille ſcorbutum à magnis lienibus differre dicit, quòd in his aut crura, aut gingiuæ tantùm malè habeant, in ſcorbuto contrà vtraque ſimul afficiantur: Ego contrà neceſſarium negem, vt in magnis lienibus ſemper cum ſtomacace, ſceletyrbe coniuncta ſit, quando impurus ille ſanguis lienem diſtendens, interim ad ſuperiora tantùm, nonnunquam etiã ad inferiora ſolummodo repat, ſicuti vbi plurimum redundauerit, neque ſubſequuta fuerit eiuſdem notabilis aliqua euacuatio, totũ occupet corpus; ſic frequenter lituras non ſolùm in cruribus animaduertimus, ſed & in brachiis, ventre, tergo, idq́ potiſſimùm lordoſi, aut lumbagine corpus aggrauante, quam & ſymptoma quoddam magnorum lienum eſſe indicamus. Ac ſic, mea quidem ſententia, Hippocrates intelligendus eſt, vbi de magnis lienibus dixerit, aut gingiuas vitiari, aut in cruribus vlcera maligna oriri; non negat tamen ob id quin vtraque hæc accidentia ſimul inuadere poſſint: nam quemadmodum is ſub aphoriſtica quadam breuitate plurima complecti ſolet; ita non raro vnum aliquem morbum pro exemplo alterius ponit. Sic hic quoque in cruribus maligna vlcera, atque ex his cicatrices nigras poſuit, ſub iiſdem lituras illas liuidas, aut ſubnigricantes intelligens. Vidimus enim non rarò, vbi diutius duraſſet malum, lituras illas ſuppuratas, atque in malignum degeneraſſe vlcus, quale Telephium eſſe coniectura

ſatis

ſatis euidenti demonſtrauimus. Nam quod Hippocrates dicit, quicunque verò habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neq. oris graueolentia; horum tibiæ vlcera maligna habent, atque ex his cicatrices nigras: non videtur aliud voluiſſe quàm quòd magnitudo illa lienum, duce naturâ, per ſe aliquando curetur, idq; ſanguinis è naribus fluore, quem & exempli loco ab eodem ſene appoſitum aſſerimus, quum non paucos nouerimus quos profuſio ſanguinis ex hæmorrhoidibus ab hac ſæuiſſima lue aſſeruerit; quemadmodùm etiam nonnullas quæ menſibus confertim manantibus ſanitatem recuperarunt. Cæterùm ſi nulla harum vacuationum ſigna ſint, corpus variè affici, ita vt modò gingiuæ, nonnunquam crura, interdum etiam vtraque ſimul impetantur, idq; potiſſimùm quoties humor ille melancholicus ſua copia ſplenem admodum diſtendit. Nam quòd Hippocratem ſic intelligendũ cenſeam, mouent me Cœlij Methodici Siccenſis, & Æſculapij loci in noſtris De magnis lienibus commentariis citati, quibus lienoſis fœtorem oris, cùm vlceroſis cruribus attribuunt, & Pauli Æginetæ potiſſimùm auctoritas libro tertio cap. 49. qui de lienis cum duricie tumore loquens, ſic ſcribit: Hoc preſſis vitio, os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt, &c. adeò vt omnes quotquot ſunt auctores, vno ore ſpleneticis omnibus, duo hæc accidentia, oris fœtorem dico & vlcera maligna, in cruribus communia eſſe dicant, quæ modò ſimul inuadere aſſerunt, interim diſtinctim; non eſſe ſiquidem neceſſarium, vt vtraque ſimul, atque eodem tempore inuadant; quod & nos de ſcorbuto conſtanter affirmamus, quando plurimos nouerimus, qui quum à ſcorbuto, aut magnis lienibus vexarentur, citra lituras, aut vlcera in cruribus,

ſolas

ſolas gingiuas vitiatas haberent, & os malè olens, & rurſum alios quibus bene affecto ore gingiuisq́, crura & coxæ non ſolùm lituris illis fœdarentur: adeò nihil perpetuum ita eſt, quin alterationem aliquam non ſuſcipiat. Solent etiam morbis multa accidere pro loci, temporis, & naturarum ratione. ſic Anconæ quum frequentiſſimæ viſantur criſes, Ferrariæ & Venetiis rariſſimæ ſunt: ſic aliis locis frequentiores ſunt lituræ illæ, aliis contrà gingiuæ vitiatæ cum oris graueolentia tantummodò, aliisq́ locis vlcera maligna in cruribus citra manifeſtum aliquod oris vitium, aut liturarum veſtigia aliqua; quod nos Goudæ in diuerſis animaduertimus. Quare præter omnem rationem eſſe putamus inferre, ſcorbutum, & magnos Hippocratis lienes eſſe diuerſos morbos; quòd in his, quemadmodũ in ſcorbuto, os & tibiæ ſimul non afficiantur, quando non ſit neceſſarium omnino, vt iam antè diximus, in vtriſque combinationem illam accidentium concurrere, idq́ potiſſimùm, quoties ſanguinis è naribus, aut hæmorrhoidibus euacuatio præceſſit; tum enim os, ac gingiuas ſolummodo affici contingit, vt iam ſæpiùs dictum eſt. Quod etſi vſu veniat, non poſſumus tamen inficiari, quin magna ex parte ſtomacace cum ſceletyrbe coniuncta ſit: cæterùm ob id velle diſtinguere à lienum affectione ſcorbutum, atque ad nouum aliquem morbum reducere conari, mihi certè, ſaluo ſaniore iudicio, ridiculum prorſus videtur, idq́ eò potiſſimùm, quòd omnia remedia tam topica quàm vniuerſalia dicta, quæ ad hunc morbum etiam ab empiricis cõcinnantur, ſpleneticis vtiliſſima ſint: nam vt ea quæ ſecundum methodum ſunt, omittamus, nouimus nonnullos qui ſolo pomorum anaranciorum vnà cum corticibus vſu ſanitatem recuperarunt: quod etſi empiricum ſit, cum ipſa tamen

methodo

methodo nonnihil commune habere videtur: Siquidem quum in lienis affectibus, auctore Galeno, opus ſit attenuantibus pharmacis citra manifeſtam caliditatem, cum modica aſtrictione, vt robur addatur affectæ particulæ, anarancia affecto lieni non prorſus inutilia pronunciabimus. Incidunt etenim, compeſcunt æſtuantem ſanguinem, & robur addunt læſæ parti. Cæterùm num ratione duce homines barbari ad propellendam hanc luem anarancijs primùm vſi fuerint, pro incõperto eſt; mihi probabilior ea videtur opinio, quæ fortuito & caſu quopiam facultatem hanc compertam eſſe aſſerit, redeuntibus nimirum ab Hiſpaniis nautis Batauis, ac vberi nouitate anaranciorum allectis, præter ſpem auida quadam guloſitate morbum pellentibus, atque id non ſemel fœlici ſucceſſu experientibus.

BALNEA FERRATA AVT ACIDA *dicta, ſcorbuto eſſe vtilia.* XXXIIII.

POSTEAQVÁM *hic ſemel atque iterum ſcorbuti meminimus, inquirendum duximus, an balneis, aut fontibus mineralibus curari poſſit: quum enim, ſicuti aſſeruimus, potiorem originis ſuæ partem attribuat ſtagnantibus aquis; veriſimile eſſe certorum aliquot fontium, atque eorum potiſſimùm qui metallica vi aliqua pollent, reſiſtere poſſe. Nam ſi, quemadmodum docet Plinius lib. 31. capite 4. tales ſunt aquæ qualis terra per quam fluunt, qualéſque herbarum quas lauant ſucci; conſentaneum eſt fontium ipſorũ vires, proprietatesq́; alterari, intendi, aut minui pro terrarum ac ductuũ per quos tranſcolantur varietate: alij enim neruis, vt idem eodem libro cap. 2. auctor eſt, alij pedibus proſunt, aut coxendicibus; alij luxatis, fractisq́;; alij inaniunt aluum, ſanant*

ſanant vlcera; alij, atque alij capiti auribuſq́ priuatim medentur, quorum vim obtundi, atque euaneſcere videmus imbre copioſiore, aut alio riuulo in eoſdem profluente: Sic Galenus decimoquarto Therapeuticæ methodi, in Leſbo quadraginta à Mitylene ſtadiis, aquam eſſe ait, cui inſit digerendi facultas; quare quum vehementer deſiccet, pinguibus, tumefactis, & hydropicis ſummè cõuenire auctor eſt. Quod quum ita ſit, credendũ eſſe in tanta balneorum varietate aliquem eſſe fontem, qui ſæuiſſimo huic malo opitulari poſſit; & quum ſingulorum vires, tam eorum qui in Italia, quàm qui in Germania ſunt, excutio, inter reliquos mihi maximè arrident ij, qui in Arduenna Sylua viſuntur, quos à ſapore acidos appellant: ij enim vt potiſſimùm ferri naturam, cum aliquantula ſulphuris portione ſapiunt, ita ad præſens negocium tam intrò aſſumpti, quàm foris vſurpati, ablutione nimirum, plurimùm fecerint. Si enim præſentiſſimum remedium ſit ſpleni in ſcirrhũ obdurato, ſicut docet Aëtius tetr. 3. ſer. 2. cap. 8. Ferrum aqua, aut vino, aut poſca extinctum, quanto magis prodeſſe cenſebimus eam aquam quæ natura duce in primis venis ferri naturam ac facultatem imbiberit, cuiuſmodi ſunt ſcaturigines eorum fontium, qui ferri venas, aut mineram præterlabuntur! Docet enim quotidiana experientia, aquas non tantùm vim & energiam metallorum quæ lambendo quodammodo præterfluunt, ad ſeſe allicere, ſed & eorundem ſaporem, quemadmodum in acidis ferrum ſapientibus cernimus, nonnunquam etiam odorem, ſicuti in ſulphurulentis, & bituminoſis videre licet. Credendum igitur eſſe acidos hos fontes, non tantùm excreſcentiæ lienum, ſed & vlceribus inde natis plurimum profuturos, quando videamus indies ſcabiem & fœda vlcera ſolis balneis, &

lotioni-

lotionibus acidorum fontium in Arduenna Sylua ad ſanitatem reduci. Et Scribonius Largus cap. 146. ad tumorem,& dolorem,& exulcerationem veſicæ benefacere dicit aquam, in qua ferrum candens demiſſum ſit: Hoc ego,inquit,traxi ab aquis caldis, quæ ſunt in Thuſcia ferratæ,& mirificè remediant veſicæ vitia; appellantur itaque veſicariæ, quondam Milonis Gracchi prætorij hominis optimi ad quinquageſimum lapidem reddentis. Neque id mirum alicui videri debeat, quando nouam quandā naturā atq. efficaciam aqua hæc,vt dixi, adſciuerit,dum ex contrariis & repugnantibus inter ſe qualitatibus,calida dico,& frigida, humidaq́; & ſicca,nonnunquam aſſcititiam naturam imbuerit, ita vt relicta naturali humectatione,qua dulcis,& ſimplex aqua corpora madefacere ſolet;iam ſiccet;non tamen tam intenſè,quàm ipſum metallum cuius per abſterſionem quandam vim imbuit. Atque huc vt veniamus, conſideranda ante omnia ipſius metalli temperies, quod præterfluens aqua eius facultate participat:& quando de acidis, aut ferratis Arduennæ Syluæ balneis mentionem fecimus, ferri natura excutienda venit,cuius temperiem varij variè diſpeſcunt. Chimiſtæ enim, qui ſingulis metallis ob cognationem quandam,& ſimilitudinem,Planetas ſuos aſſignant,ferro Martem attribuunt,ita vt id Martis nomine paſſim appellent; vnde quum Mars caliditate & ſiccitate excellat,ferrum etiam iiſdem qualitatibus inſignitum eſſe inferre videntur: Alij contrà frigidum eſſe prædicāt, idq; auctoritate Galeni,qui libro Methodi,lapidum, inquit,ſubſtantia conſtans,ſtabiliſq́; propter ſiccitatem,& frigus eſt,ad eundem modum æris, & ferri, & vno verbo omnium quæ ex terra fiunt,corporum:& libro 4.ſimplicium medicamentorum,quæ corpora ſunt

duriora,

duriora, terrea magis ſunt, inquit: præterea libro tertio De ſimplicium medicamentorũ facultatibus, corpus terreum craſſum eſt, ait, ferrum, & lapis: quod autem terreum eſt, frigidum & ſiccum eſſe compertum eſt: atque huic quidem opinioni, quotquot ferè ſunt, Arabes & neoterici ſubſcribunt, præſertim quando in mixtione ipſa metalli ferrum ex terreſtribus partibus, & cœnoſis ſulphuris & argenti viui peritiores conflari doceant; quæ frigidæ & ſiccæ ſubſtantiæ ſunt, vndè & durum fuſcum atque graue ſit. Alij medium quoddam inter vtroſque ſtatuentes, ferrum in minera repertum, calida conſtare natura ob calidorum mineralium ferrum cõſtituentium naturam aſſerunt: quod verò arte conficitur à reliquis ſecretum mineralibus, frigidum; quoniam terrea craßioraq; in eo abundantiùs permaneant, ſubtiliori per vim ignis conſumpto; qui quidem vt & ego quid ſentiam eloquar, rectè mihi ſentire videntur, quum videamus thermas, aut aquas quæ ferri mineram præterlabuntur, temperie eſſe non exquiſitè frigida, ſed cui calor aliquis adiunctus ſit; quem augeri contingit, ſi ſulphuris aliqua minera in propinquo ſit. Quare quum ad ſcorbuti curationem opus ſit partim incidentibus, partim acrimoniam humoris peccantis obtundentibus, partim etiam affectæ particulæ robur addentibus, optimè id effecerimus balneorum ferratorum, aut acidorum vſu: addũt ſiquidem, ſi qua alia, robur ſpleni, moderataq; ſua frigiditate acrimoniam humorum compeſcunt, atque quum acido ſuo ſapore obſcurè quodammodo videantur calefacere ſicut acetum, craſſa incidunt.

DE HOLLANDIA. XXXV.

De Hollandia noſtra ſeu Batauia varij variè ſentiant: ſunt enim qui Boreæ ac Rheni munus eſſe ſuſpicantur, quemadmodũ in Symmictis ſuis annotauit Petrus Nannius: alij à ſyluarum frequentia Holtlandiam appellatam affirmant; alij rurſum à fœno Hoylandiam dici volunt: potior tamen, ac vulgo magis recepta opinio eſt, quæ à terræ cauitate Hollandiam nominatam exiſtimat. Nam quantumuis Martinus Dorpius, eam tantùm probet quæ à lignorum congerie Holtlandiam vocatam dicit, ac reliquos qui aliter ſentiant, pro ridiculo habeat; quòd veriſimile ſit illic olim magnas, denſaſq; fuiſſe ſyluas, quæ aut tempeſtate, aut vi ventorum, aut terræ motu, aut alio quouis modo conciderint, vbi nunc paſſim multo infra terram ingentes quercus reperiuntur, atque effodiuntur; euidentiſſimis tamen argumentis id vanum eſſe demonſtrat Nannius, quum pleraq. Hollandiæ loca, atque ea præſertim è quibus ligna hæc effodiuntur, arbores auerſentur, ac proinde veriſimile eſſe, arbores has aliundè inuectas eſſe, potiſſimùm quãdo Plinius libro ſecundo dicat, inſulas nonnullas natatiles eſſe, ac ſemper fluctuantes: & libro 16. cap. primo idem aſſerat, nõ procul à Cauchis (quos Bremenſes, aut his confines eſſe ſuſpicantur) circa duos præcipuè lacus littora ipſa obtinere quercus, quæ ſuffoſſæ fluctibus, aut propulſæ flatibus, vaſtas radicum inſulas ſecum auferant, atque in finitima æſtuaria deferãt: Huc adde quòd recenti hominum memoriâ, anno nimirum 1552. euentus docuit in inundationibus maris, integra nonnunquam prædia à continente auelli, atq. in alium transferri locum. Exiſtimandum igitur nihil minus quàm à lignis Holtlandiam dictam,

*dictam, ac potiùs animaduerſione dignum, cur in Hollandia non ſecus ac de agro Gabienſi meminit Plinius; videamus ad concitatiores ingreſſus, aut equitantium curſum, integra nonnunquam terræ iugera concuti ac tremere; eſt ſiquidem rationi magis conſonum, tremebundam hanc natura tellurem, Hollandiæ nomen potiùs indidiſſe, quàm aliũde inuectitias arbores. Quod & mecũm ſuſpicatur vir ſi quiſquam alius polyhiſtor, at maximi iudicij Hadrianus Iunius libro Animaduerſionũ quintò, locumq́; hunc ex panegyrico Maximiniano Auguſto dicto profert. Quanquam illa regio diuinis illis tuis expeditionibus Cæſar vendicata, atque purgata, quam obliquis meatibus * Vahalis interfluit, quamquam diuortio ſui Rhenus amplectitur, pene, vt cum verbi periculo loquar, terra non eſt, ita penitus aqua imbuta permadet, vt nõ ſolùm qua manifeſtè paluſtris eſt, cedat ad nixum, & hauriat preſſa veſtigium, ſed etiam vbi paulo videtur firmior, pedum impulſu quatiatur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur; ita, vt res eſt, ſubiacentibus innatat, & ſuſpenſa latè vacillat. Hæc Panegyriſta ille de Bataviæ ſolo dilucidè admodum dixit; & nos quotidiana experientia ita eſſe comperimus. Siquidem quando aqua lacuſtris grauis admodum ſit, & terra paluſtris leuis, atque ſpongioſa, neceſſum eſt vt ex his vtriſque inter ſe mixtis æquilibrium quoddam conſurgat, vnde contingat neque omnino deprimi terram; neque rurſus aquas planè obrui; verùm ex æqualiter inter ſe mixtis tremebundam reddi tellurem, ac pedum impulſu, vt ait Panegyriſta ille, quati. Quod in rerum natura fieri poſſe demonſtrat Seneca: nam ſi aqua grauior eſt, inquit, leuiorem rem quàm ipſa eſt feret, & tanto ſupra ſe extollet, quanto erit leuior: At ſi aquæ, & eius rei quam contrà*

*Sic reſtituit Iunius, quũ vetus lectio *callida* haberet.

 penſa-

penſabis,par pondus erit, nec peſſum ibit, nec natabit; ſed æquabitur aquæ, & natabit quidem, ſed penè merſa, ac nulla eminens parte.

AN TERSA MVNDAQVE LINTEAMINA *puerperis & ægrotis conueniant.* XXXVI.

RECEPTVM *paßim, & conſuetum eſt, Leuine doctißime, ex morbo decumbentibus, at ipſis etiam puerperis mundorum linteaminum vſu interdicere, ac ſi quando ob nimias ſordes eadem mutanda ſint, aut linea induſia, aut alia quæ in quotidianum cedunt vſum, priùs quàm ægrotis adminiſtrentur, aliis noctem vnam, aut alteram ſubſternere, tanquam mundicies illa ægro corpori non ſatis conueniat. Commentum, me hercule, quod veſpillonum quorundam induſtria, aut ſagæ alicuius veneficæ arte ſenſim in hominum mentes irrepſiſſe veriſimile eſt. Quis enim qui vel tenuißimè medicinam attigit, huiuſmodi pronunciet, aut inuehat? quis (niſi methodum omnem ſubuerſam velit) pronunciata iam aut inuecta tueri audeat? ſi enim, vt auctor eſt Galenus libro ſanitat. tuend. primo, puelli plorantes quoties nec nutricis papilla ori indita, nec motu mediocri, neq. vocis modulatione ſedari queant (videmus enim tria hæc nutricibus ipſo vſu edoctis inuenta doloris infantium remedia) lectorum, aut inuolucrorum, aut veſtium alioqui ipſarum ſordidiorum immutatione non tantùm leniantur ac quieſcant, ſed & in profundißimum ac ſuauißimum incidant ſomnũ; quid tandem de veſtibus aliorum ſordibus infectis pronunciabimus? quum enim natura noſtra excrementa quædã à ſyncero ſecernat, quæ modò per aluum, modò per veſicam, interim etiam inſenſibiliter per vniuerſum corpus (eſt nanque non tantùm cutis*

noſtra,

noſtra, ſed & tota totius corporis noſtri compages poroſa prorſus, & meatibus plena) expurget; veriſimile eſt eandem in ſemper eſſe inte͂ptam; ac ni morbidum ſit corpus, ſemper aliquam moliri excretionem, qua & inſici proximas veſtes, & odoris gratiam in peius mutari contingit, quo alienius nihil ægrotantibus accidere poteſt: Nam quum Galenus, & poſt eum Ioannes Meſuens, atque ipſe princeps Auicennas in medicamentis, quoad fieri poteſt, ſuaueolentiam quandam requirant, quòd videlicet & ſalubriora ſint, & naturæ magis accõmoda; odor ſiquidem ille bonus partes principes facultatum ceu fontes roborat, inſtaurat ſpiritus, & facultates animamq́; exhilarat; quid tandem de graui odore ex alieno contracto ſudore pronunciabimus? Siquidem qualis qualis tandem ſit ſudor qui exudat, neceſſum eſt, vt extraneæ alicuius qualitatis, quæ animales facultates offendat, particeps ſit: nam ſeu ſalſus, ſiue acidus, ſeu amarus, ſiue pallidus, ſiue ex pallido flauus ſit; ſiue etiam virus quoddam oleat, concedendum eſt tanquam excrementum à corpore reiici, atque ægrotantium nares eodem facillimè offendi. Atqui non negamus, inquiunt, quin hæc ita ſeſe habeant, ſed quoniam terſa illa, mundaq́; linteamina poros quodammodo reſerant, ſanis ſubſternenda curamus, ne continuo fluore corpus exinaniatur, ac vires ægri exſoluantur. Bella me ædepol cautela, ac veſpillone, non medico digna; nam ſi, vti volunt, periculum erat ne reſeratis poris plus iuſto efflueret ſudor, ſatius erat veſtes, aut linea illa inuolucra, ſuffitu roſarum, maſtiches, balauſtiorum & ſimilium alterare, quàm aliis eadem ſubſternere; quanquam ſi rem aliquanto exactius animaduertiſſent, non erat quòd tam ſubitam exolutionem virium per ſudorem formidarent, quando is frequentiſſimè citra

viriumiacturam morbos ſoluere ſoleat, quemadmodũ in Aphoriſmis docet Hippocrates, & Galenus nono Therapeutices. Præterea meminiſſe debebant purgationem, aut excretionem eam, quæ per ſudores fit, naturæ maximè amicam, ac familiarem eſſe, quando contrà quàm eæ quæ arte fiunt, citra ſpirituum iacturam, aut exolutionem fieri ſoleat, atque ob id Galenus libro primo ſanitatis tuendæ curandum dicit omnibus modis, ſi meatuum ora conniueant, aut aliquo modo ſint obſtructa, vt iiſdem quàm fieri poteſt ocyſſimè occurratur, ne ſalutaris illa euacuatio aliquo modo præcludatur. Adiuuandus enim motus naturæ eſt, non præpediendus; nam quò natura fert per loca conuenientia, eò ducere conuenit, ait Hippocrates. Si tamen contingat ex virium imbecillitate: ſicuti nonnunquam vſu venit, confertim effluere ſudorem, non negò quin compeſcendus, ac reſtringendus ſit: quod tamen per ſordidas, virulentumq́ neſcio quid redolentes, atque aliis ſubſtratas veſtes tentandum minimè docet Galenus, quin potius id faciendum ſuadet per vnguenta emplaſtica facultate prædita: ſic enim citra moleſtiam aliquam odoris obſtructis poris facilè cohibebitur, quanquam non inconſultum fuerit lineas veſtes aluminoſa aqua abluere, aut ablutas, ac ſiccatas aqua aluminoſa, aut latice roſarum aut plantaginis aſperſiſſe. Sic enim aſtrictionis neſcio quid adipiſcentur, & non ingrato odore vires quodammodo reficient. Tu igitur, mi Liuine, quanquam per te tibi conſulere poſſis, vel me ſuaſore, quoties feret occaſio, quibuſuis etiam ægrotis non vereberis terſa mundaq́ linteamina aut linea induſia exhibere: ita tamen vt ſi quid ex præcedente lotione humiditatis reliquum ſit, luculento igne exugatur, ac vel in te ipſo, labore, aut alio quouis modo defatigato periculum

facito quantum contulerit ſudorulenta induſia nitidis commutaſſe.

AN IN PESTIS PROPHYLACTICE *alui deiectio vomituſque conueniat.* Ad D. Cornelium Heydium. XXXVII.

SI *Martialis, Epigrammaton libro, Diaulum quendam ex chirurgo veſpillonem, aut cadauerum funeratorem factum, iamq́; clinicen pollicentem irrideat, neque ſatis ferat hominis temeritatem, qui medicinæ famam aucupans, animas mortalium negociaretur; quo tandem loco Alexianos iſtos veſpillones monachos habebimus, qui quum neque literas, neque narè norint, non verentur artium omnium præclariſsimam medicinam profanare, atque per hominum mortes periculũ facientes de rebus ambiguis tanquam ex tripode ſententiam proferre? Si quando enim contingat ſæuire peſtem, monachi hi pluſquàm ventres, & abdomini nati, nihil præter ingluuiem cogitant, nihil aliud quàm pergræcantur, aut commeſſantur, creduloq́; popello, non citra reipublicæ iacturam facilè perſuadent, nihil ad luis huius præſeruationem conducibilius quàm plenam victus rationem, ac frequentes ad ebrietatem vſque perpotationes; & ſi ventris ſaburra moleſta ſit, audent purgantia medicamenta propinare, vomitum promouere, & quiduis non moliri. Quorum aliqua etſi medici plerique laudent, atque cum ratione fieri dicant, mihi tamen potior videbatur Aurelij Cornelij Celſi ſententia, cui repletio omnis ac crapula; quam magna ex parte cruditas comitari ſolet, purgatio, atque vomitus ſuſpecta ſunt: nam & fluentem aluum ſiſtendã dicit; & ſi quid demendum ſit, cibi*

 parcimonia,

parcimonia, aut abſtinentia auferre conſulit, atque id quidem maxima cum ratione; nam neque Galenus id quod corruptum eſt per medicamentum purgans ſemper aufert, ſed modo per inediã, modò per exercitium, modò alia via euacuat; & ſi quãdo cum corruptione humorum etiam virtus imbecilla ſit, per ἐπίκρασιν curare ſolet (eſt autem ἐπίκρασις, vt idem nono Methodi therapeuticæ teſtatur, quoties paulatim quod vitioſum eſt vacuatur, ac paulatim inuicem quod ſalubre eſt pro eo reponitur.) Sed triobolares iſtos monachos miſſos facio; atq. ad medicos digreſſus, rem altiùs nonnihil ſcrutabor, qui monachorum iſtorum exemplo ſanguinem ſtatim demunt, purgant, atque alia eiuſmodi multa faciunt, atque, ſi diis placet, inter Arabes Auicennam in teſtimonium vocant, inter Græcos Galenũ, Aëtium, atque Paulum ex Ægina medicum; nam iidem, inquiunt, corpora humida ſiccanda dicunt, & ſuperflua purgant, & quibus ſuperior ventriculus pituitam continet, vomitionibus ſollicitandum docent, & quibus ſanguis inundauerit, venam ſecare iubent. Non poſſum equidem inficiari, quin hæc ab iiſdem ſic præcepta ſint; ſi tamen paulo diligentiùs excutiantur, atque exactiùs expendantur, comperiemus eoſdem nihil minùs quàm vehementes reiteratasq́; purgationes voluiſſe, atque cum Cornelij Celſi ſententia quàm maximè conuenire, qui capite vltimo primi libri in hunc modum ſcriptum reliquit. Eſt autem obſeruatio neceſſaria, qua quis in peſtilentia vtatur adhuc integer, quum tamen ſecurus eſſe non poßit, tum vitare oportet fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem, multóque magis ſe continere ſi qua grauitas in corpore eſt, tum neque ſurgendum, neque pedibus nudis ambulandum, neque ieiuno neque cœnato vomendum eſt, neque aluus

mouenda eſt,atque etiam ſi per ſe mota eſt,comprimenda eſt,abſtinendum potiùs ſi plenius corpus eſt. Quo loco Celſus ex Hippocratis ſententia alienius nihil homini ſano in præſeruatione peſtis dicit, quàm frequentes alui per medicamenta deiectiones,neque id iniuriâ;nam ſi ſanis non ſolùm,ſed & ægrotantibus, vt docet Galenus,& quotquot hodie extant ſcriptores in peſtilenti conſtitutione exitialius nihil ſit quàm virium exolutio; conſequens quoq. erit,iiſdem nihil æquè aduerſari quã pharmaciam; ſiquidem,vt ait in aphoriſmis Hippocrates,qui ſano ſunt corpore,per medicamenta purgantia citò exoluuntur; medicamentum enim purgans non inueniens ſibi cognatum vitioſum humorem,& redundantẽ quem ad ſe trahat,& vacuet, primùm ſpiritus diſsipat, deinde humida diſcutit,poſtremoq́; ſolida tabefacit:vnde Galenus in commento eiuſdem Aphoriſmi, Contabeſcunt, inquit, non expurgantur; & Hippocrates quoque ſtatim ſubiungit, Qui bene ſe habent corpore,difficulter ferunt medicationes; nam & vertigines, & torſiones patiuntur,inquit Galenus;& difficulter purgatio procedit,& ſi vehementior fortiorq́; ſit purgatio, non citra periculum conuulſionis propinabitur; nam ob id veratrum carnes ſanas habentibus periculoſum dixit idem ſenex.Per præſentem autem ſanitatem intelligimus hic hominis non tantùm abſolutè ſani,ſed & cuiuſcunque natiuam ſanitatem habentis,qualem ſcilicet ab initio accepit,ſiue ea perfecta abſolutaq́; ſit,ſiue ab optima declinet,modò talem in præſentia ſeruet,qualis ab initio erat; nam hanc quoque Galenus ſub finẽ artis medicinalis inculpatam vocat, & de qua conqueri non liceat; nam alioqui ſi de abſolutè ſano corpore Celſum locutum diceremus, nihil eſſet quòd cõmunem hãc curandi rationẽ accuſaremus,

 quando

quando certum ſit, abſolutè ſanum corpus nullis aſtringi legibus.) Iam autem vt eò vnde digreßi ſumus redeamus; ſciendum eſt quòd neque Galenus ipſe, neq. Aëtius, ſi quid in corpore abundet; ſtatim expurget, ſed modò exercitio, modò moderata victus ratione id caſtigant; ſiquidem, vt ait Aëtius, ſi quis moderatis laboribus, & victu modeſto, & caſtigato vtatur, in totum illæſus manet, per omnes peſtilentes, ac populares affectiones; exercitium enim ſi humidius ſit corpus, atque putredini obnoxium, ſi frequens ac moderatũ ſit, ſufficienter exiccabit; cui ſi victus ratio exiccans accedat, plurimum etiam profuerit; & ſi ex Celſi præſcripto alternis diebus modò aquam, modò vinum bibendum des, exactiſsimam, meo quidem iudicio, prophylacticen præſcripſeris: nam aqua inflammationem, vinum putredinem diſcutiet, atq. cruditatem arcebit, ac vires quodammodo confirmabit. Si tamen largius, atq. ad ſatietatem ſumatur; non dubium eſt quin ventriculus, & prima vena grauetur, vnde corpori maximum imminebit periculum; calor ſiquidem innatus extinguitur, vt docet Galenus libro De ſanitate tuenda, & ſuffocatur; ac obſtructis meatibus putredini oportunum redditur corpus. Magis peccant qui craßis illis ſeptentrionalibus, aut noſtratibus cereuiſiis ſeſe ingurgitant; hæ etenim præterquam quòd craßi ſucci ſunt, etiam difficulter ſecernuntur, ac concoquuntur, & corpus infarciunt. Neque me mouet Auicennæ auctoritas qui ſcribit eos tantùm euadere qui viriliter bibunt, comeduntq́.; id enim ad præſentem iam affectum referendum tantùm eſt, non ad præcautionem; corpus etenim ientaculo non aſſuetum, ientaculum haudquaquam deſiderat, verùm extenuatum tantùm; ac penuria affectum: extenuata enim corpora facillimè quemuis etiam cor-

corruptum ac malum aërem recipiunt;quo fit vt moderato cibo replenda cenſuerint veteres illi medici, quod multi hodie ita accipiunt,vt in quibuſuis etiam corporibus ingluuiem præſcribere non vereantur. Debuerant antequam certi aliquid ſtatuerent, ſingula præcepta ſigillatim expendere,atque ad trutinam reuocare,ac deinde omnia ſimul conferre,atque ex his inter ſe collatis,curatoriam aliquam, aut prophylacticen colligere methodum. Nam neque Auicennas ipſe quibuſuis plenum cibum concedit,aut etiam quemuis cibum, verùm iis tantùm quibus ex morbo appetitus proſtratus eſt: Quando cadit appetitus, ait, reſtauretur ad comeſtionem; nam plurimi illorum,qui viriliter agunt ſuper illud,& comedunt violẽter,abſoluuntur,& viuunt. Et neceſſe eſt eos reſtaurare ſuper cibum;& oportet vt ſint cibi eorum ex acetoſis, & deſiccatiuis, & ſint paucæ quantitatis; cibi nanque eorum ſunt iterum mali,quia nocet eorum multitudo in quantum ſunt mali.Nam quum periculum afferant peſtilentes febre correptis vires deperditæ, ſuadet vt iis quibus appetitus proſtratus eſt, cibus exhibeatur; quem etſi recuſent ægri,non ceſſandum tamen dicit antequam ſumant: nam & ij, inquit, qui viriliter agunt, aut violenter comedunt,euadunt;ac ſi dicat,ij qui naturam quodammodo ſuperantes pro temporis neceſſitate cibum capiunt, hoc enim eſt viriliter agere,hoc eſt violenter comedere; nam quid fortius, quid virilius quàm vim inferre naturæ? atque proſtrato appetitu,recuſanteq́; natura cibum ſumere ad conſeruandas vires? nam quod hoc voluerit,ex conſequentibus manifeſtum redditur: vult enim ea exhiberi, quæ modica mole multum nutriant; nam & quantitas ei ſuſpecta eſt. Huc adde quòd idem ſequente capite in præſeruatione peſtis cibi Explicatur Auicennæ locus lib.4. fen 1.trac.4. cap.4.

mino-

minorationem, & exercitium præcipiat, & nihil minus quàm ingluuiem hanc, & Alexianam commeſſationem commendat. Sed hæc hactenus: nunc ad ſanguinis miſsionem veniamus; eam etſi paſsim ab omnibus commendari audio; non video tamen qua ratione integro corpori conuenire poſsit: quum enim hic nondum ſit, qui aut qualitate, aut quantitate peccet ſanguis, fit vt vnà cum ſanguine vitæ noſtræ fomite ſpiritus quoque euaporent, atq. diſsipentur, vnde frequenter virium exolutio oritur, & quod ante bene habitum ſanumq́ fuerat corpus, atque ad propulſandam luem integrum, eidem recipiendæ redditur oportunum, adeò multum refert, quo tempore eadem nonnunquam adhibeamus remedia; ſiquidem inter morbi initia ſi ſanguis exuperet, vtiliſsima erit phlebotomia: quemadmodum etiam ſi ſuperior venter pituita infeſtetur, vomitu ſollicitanda, atq. expurganda erit: quod tamen à prophylactice alienũ eſt, vt quæ omnes ſubitas & violentas, medicamentoſasq́ alterationes, ſuſpectas prorſus habeat. Ex Celſi igitur noſtri præſcripto, vitanda erit omnis ſatietas, cruditas, ac purgationes, ſi à peſtifera lue immunes eſſe volumus. Admittimus tamen non tantùm in curatione, ſed & in præcautione catapotia illa Ruffo aſſcripta; quòd hæc modicè aluum turbent, idq́ citra moleſtiam, atque vnà arceant putredinem: Sanũ tamen ſi ſumendæ ſint, in confectione aloën lotam, vt maius robur addatur ventriculo, cruditáſque arceatur, recipiendam ſuaſero.

DE ZYTHO, COVRMI, ET CEREVISIA: ad D. Rembertum Dodonæum. XXXVIII.

ETSI *abſolutiſsimum tuum, mi Remberte, de re herbaria opus me ab inſtituto terrere debuerat, præſertim*

ſertim quando laboribus tuis longè fœliciſſimi philiatri, atque his multo beatiores pharmacopœi, omnes fere vno ore dicant, te poſt Hermolai, Leoniceni, Ruellij, Brunſfelſii, Ryffii, Fuchſii, atque aliorum maximos labores, intricatam, neque adhucdum ſatis cognitam rem herbariam, ita planam, atque obuiam omnibus reddidiſſe, vt nihil ferè reliquum ſit quod in controuerſiam vocari poſſit; non ſecus ac quondam ab Apolline inuentam medicinam ampliorem reddidit Æſculapius, amplificatam abſoluit Hippocrates, abſolutamq́ iam expoliuit Galenus: Attamen neſcio quo fato, mortalibus omnibus id inſitum eſt, vt ſuum cuique pulchrum eſſe videatur, & , ſicuti habet ille,

Turpia delectant cæcũ vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Agnæ:

Non potui non quid de doctiſſima alioqui epiſtola tua ad D. Ioannẽ Viſchauium Reipub. Bredanæ medicũ ſentiam, paucis ſignificare; in qua quæ de zythi ac cereuiſiæ diſcrimine, ac deinde de cereuiſiæ facultate in mediũ profers, mea quidem ſententia in dubium vocari poſſunt: ſiquidem, vt ingenuè quod ſentiam eloquar, quæ de zythi cum cereuiſiæ noſtræ diſcrimine ſcribis, vt non omnino probare poſſum, ita nec planè improbanda cenſeo. Nam ſicuti concedimus maximum diſcrimen iiſdem pro coctura ratione ineſſe, ita eaſdem fere ſpecie eſſe cenſemus, cæterùm differre tantùm pro cocturæ ratione; quod & Dioſcorides lib. 2. cap 80. voluiſſe videtur; qui quum præcedente capite ex hordeo potum fieri, cui zytho nomen eſt, dixiſſet, atque alium ab hoc quem κοῦρμι *nominat, ſubiungit, conſimilia etiam potus genera ex tritico fieri aſſolent, in Iberia quæ occidentem ſpectat, & Britannia, quò alludens Plinius naturalis hiſtoriæ libro 22. cap. vltimo*

mo ſub finem, Ex frugum,inquit,genere hæc ſunt in vſu medico,ex iiſdem fiunt & potus zythum in Ægypto, ceria, & celia in Hiſpania, cereuiſia ; & plura genera in Gallia,aliiſq; prouinciis, quorum omnium ſpuma cutem fœminarum in facie nutrit. Ex quibus colligere omnino licet, ſub eadem ſpecie comprehendi poſſe courmi, vel courma, celiam vel ceriam, zythum atque cereuiſiam noſtratem,differre tamen pro coctura ratione. Siquidem ſi quis hordeaceam noſtram cereuiſiam (qua maiores noſtros vſos fuiſſe veriſimile eſt,dum,vt erant frugalitati magis quàm nos attenti, oſtenderent quàm eſſet paucis atque iiſdem ſimpliciſſimis natura contenta) cum potu quem courma,aut eo, quem zythum vocat Dioſcorides, contulerit,parum differre comperiet,quando vtrunque ex aceſcente guſtu acrem quendam præ ſe ferre ſentiet. Nam quantumcunque noſtrates irrigatum ac dies aliquot madefactum hordeum per tabulatum pertuſum ſubiecto igne exiccent; nunquam tamen mihi perſuadere poteris,quin ex madore illo putredinem aliquam acquiſiuerit,præſertim quando,vt ipſe fateris, atque apud omnes in confeſſo eſt; non antè in tabulatum illud reponatur quàm germinare cœperit, quod nunquam faciet ante conceptam ex humore alterationem putredini non abſimilem; cui vt ſubueniretur, lupuli ſalictarij modica portione ſub finem decoctionis decoctum potum cōdiunt, quo guſtantibus & amariorem potum efficiunt, & facultate calidiorem, & putredini quæ à madore hordei contracta eſt,medentur,atque ab acore tuentur.Sed hæc hactenus: nunc ne epiſtolæ limites tranſgrediamur,alteram partem diſcutiamus,facultatemq; cereuiſiæ expendentes, videamus qua ratione ſeptemtrionales aliquot cereuiſiæ,craſſitie, & lentore inſignes, inter quas Gedanenſis

nenſis aut Dantiſcana primatum facilè obtinet, aluum turbent, atque ſubducant, num id fiat, ſicuti tu ſuſpicaris, ex frumenti hordeiq́; copia, an aliunde? Ac primò, credo, id mihi lubens concedes, lupulum noſtrum ſalictarium (etiamſi contrarium ſuſtineat Ioannes Meſueus) facultate calidum eſſe, & ſiccum ad ſecundum vſq. ordinem, quando eiuſdem flores, quorum in coctura cereuiſiæ potiſſimus vſus eſt; odoris grauitate cerebrum feriant, & manifeſtum amarorem guſtantibus exhibeant. Ad hæc Galeni auctoritate dabis hordeum exiccando, & refrigerando primi eſſe ordinis, triticum deinceps primo tantùm ordine calefacere, mediumq́; quodammodo inter humectans, & exiccans eſſe; zeam verò inter hoc & hordeum facultate medium conſtitui; vnde veriſimile eſt cereuiſiæ ipſius abſterſionem pro hordei ac lupuli ſalictarij copia augeri, intendiq́;, aut minui eiuſdem calorem pro lupuli ſalictarij potiſſimùm, ac tritici quantitate, ac rurſum pro hordei, zeæ, atque tritici potiſſimùm menſura valenter, aut parum nutrientē effici. Cæterùm aluum ducendi vim, aut herbis medicatis attribuero, aut lupulo ſalictario, quem apud omnes in confeſſo eſt ea facultate præditum eſſe: nam & bilem ducit, & ſanguinem puriorem reddit; tantum abeſt vt copiæ tritici tribuamus, quando certum ſit craſſitie ſua, ac lentore obſtructurum potiùs meatus, atque viſcera; nam, ſicuti auctor eſt Galenus libro De alimentorum facultatibus primo, triticum in cibos aſſumptum ægrè concoquitur, flatus excitat, laborem ventriculo infert, & caput vaporibus tentat; quare & panem qui ex eo fit, fermento condiendum eſſe dicit; nam qui fermento omnino caret, inquit, nemini prorſus eſt accommodus. Quo fit vt ſatis mirari non poſſim, te virum ad rationem alioqui omnia expendentem,

tem,

tem,& Galeni noſtri patrocinio plurimum confidentem, tantum tuis illis fide dignis cereuiſiæ coctoribus,vt ſcribis, tribuiſſe, vt crederes amaritudinem, & abſtergendi, aluumq́ ducendi vim aduenire non aliunde, quàm ex hordei,zeæ,frumentiq́ copia; quũ quotidiana experientia comperiamus, ſuauem quandam dulcedinem ex frumenti copia cereuiſiæ accedere, nec antè dulcedinem immutari, quàm adiecto lupulo ſalictario, amarorem aliquem pro eiuſdem quantitate induat. Sed nec hordeum ipſum etiamſi quammaximè toſtum ſit, amaritudinem aliquam conciliabit; ſed talem ſaporem qui omnis dulcedinis non ſit expers, quanquam ad eam dulcedinem nequaquam perueniat, ad quam triticũ accedere diximus. Et etiamſi iam antea hordeaceæ noſtræ cereuiſiæ ex aceſcente acrem ſaporem attribuimus, id iam dictis aduerſari exiſtimes minimè velim, quando conſtet acrimoniam illam aceſcentem ex iniecta fece cereuiſiaria oriri, quam & tu fermenti loco eidem admiſceri aſſeris,ita vt hac parte toto cœlo mihi aberrare videaris, ſicuti etiam facis quando abſterſionem iiſdem aſſcribis: Nam quantumuis quam maximè hordeum (quod ſolùm inter nominatas iam cereales fruges abſterſione præditum eſt) id facere poſſet, irrigatione illa, & vſtura eandem exuit, atque aliam quodammodo naturam induit,quemadmodum in Rhabarbaro & myrobalanis toſtis vſu venire videmus. Magis porrò mirandum eſt, atq. contra omnem rationem, quòd ex illorum ſententia credas aluum ducendi vim à frumento cereuiſiæ aduenire; quo fit, vt ſi quid liberiùs proferre auſim, exiſtimem te iſthæc ſcripſiſſe, non quòd ita ſentias,ſed quò illorum opinionem aliis cognitam faceres. Quis enim vel tenuiter in re medica verſatus,pollini,& flori tritici, zeæ vel hordei toſti,

quæ

quæ in decoctura in ſubſtantiam cereuiſiæ transferuntur, aluum purgandi vim tribuet? quum ſatis conſtet pollinem illum emplaſtica ſua facultate magis obſtruere, infarcireq́; meatus, atq. adeò ipſa viſcera? & quantumcumq́; nobis ipſam experientiam obtrudas, quæ docemur Gedanenſi cereuiſia, quæ inter reliquas craſſitie pollet, plurimis ventrem turbari, atque expurgari; ego rurſum reſpondebo, eadem plurimis aluum indureſcere, & quòd aliis citet aluum, id facere cogendo potiùs quàm leniendo, aut molliendo, ſicuti meſpila cotoneaq́; à cibo ſumpta, citando ventri accommoda dicimus, quum alioqui ſi in prima ſumantur menſa, ad id inutilia cenſeantur. Quare mi Remberte, vt quod ſentio, ſemel eloquar; vereor ne cereuiſiarij illi impoſtores ad vberiorem quæſtum dum tritico parcunt, peregrinis quibuſdam, aut medicatis herbis, aut reſinis alioqui incoctis potum adulterent, eumq́; qui veſcus eſſe debebat, & nutritioni inſeruire, medicamentoſum efficiant. Si enim cereales fructus illi, vt tibi perſuaſiſſe videntur, ſaporem immutare poſſent, & amarorem conciliare, longè eſſet Dantiſcana amarior, quàm aut Roſtochiana, aut Brunſuitenſis, aut Bremenſis, aut Embecenſis, aut quæuis etiam alia, vt quæ inter reliquas plus recipiat frumenti. Et rurſum Anglicana, vt minimè amara reliquis omnibus minimè admiſerit, & tamen hæc, vt apud omnes in comperto eſt, reliquis plus caput offendit: vnde vehemens me tenet ſuſpicio, hanc non ſolùm ex frugibus cerealibus, & lupulo ſalictario eſſe confectam, verùm admixtas ei reſinas, aut alia quæ caput petant: nam quantumuis magni nominis medici quidam, atque iuriſperiti nonnulli aſſeris & ſenticoſis exceptionum labyrinthis exerciti, meliora longè, ſuauioraq́; ſibi ex arte noſtra polliciti non vereantur citra

rationem (vt mihi quidem videtur) eidem ſummam ſalubritatem aſſcribere, atque oxyporian illam, qua facilè ad renes, atque vaſa vrinalia fertur, occultæ cuidam proprietati acceptam ferre, quæ aquæ ex qua coquitur inſit, mihi certè nunquam placere potuit, quum & capiti & neruis non ſecus ac zythum officiat, atque, vti iam diximus, medicatus quidã potus eſſe videatur; ſatis enim ſuperq́; cognitum eſt, multos reſinam, alios hyoſcyamum eiusq́; ſemen, nonnullos horminum atque id genus alia coctura cereuiſiariæ admiſcere; partim vt citiùs inebrient, partim vt extraneum aliquem ſaporem gratum alioqui palato concilient, maximè autem vt quam minimum frumenti in decoctura inſumant; quod an Britanni faciant, penes alios iudicium eſto. Quod ſanè, Remberte doctiſſime, quanquam certò ſciebam te haud quaquam latêre, tamen amicè monitum volui, vt & rem aliquanto accuratiùs expenderes, & vt ſi quid his rectius haberes, non grauateris impartiri; nam quando ea ſit artis noſtræ conditio, vt cum longitudine iudicij quoque difficultatem coniunctam habeat, pudere nos minimè debet, ſi quando in diiudicandis rerũ naturis non per omnia apicem ipſum attingamus; nam & in arduis, eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltrà.

DE IISDEM REMBERTI DODONÆI *Epiſtola.* XXXIX.

LITERÆ tuæ pergratiſſimæ mihi fuere, D. Balduine, cum quòd ab eo profectæ eſſent, qui Philoſophiæ, ac veritatis ſtudio deditus ſit; tum quòd videris mearum lucubrationum eſſe ſtudioſus. Vt autẽ breuiter reſpondeam: Anni decem ſunt ex quo libellus De frugibus prodiit; in-

terea

terea ex variorum auctorum lectione, plura obſeruaui quæ ad ſtirpium hiſtoriam faciunt, ſic vt editio commentariorum meorum De ſtirpium hiſtoria locupletior multo ſit futura, quàm vel Germanica, vel Gallica. Hos commentarios ſpero intra biennium prodituros; priùs tamen altera Germanica in lucem dabitur; eſt enim nunc ſub prelo; verùm in ea editione plæraque non continentur eorum quæ Latina eſt habitura, in qua omnem frugum hiſtoriam, & ex frugibus parata diligentiùs excutiam quàm olim explicata, aut tradita fuerunt. Tantum nũc ſcribendum videtur: Si fiat zythum ex hordeo, tantiſper in aqua macerato, donec reſoluatur in liquorem, parum cum eo ſimilitudinis cereuiſiam habere poſſe: nam hordeum ex quo maltum (vulgo *maut*) fit in aqua, tantiſper non remanet, donec reſoluatur; ſed quouſq; tantum humoris imbiberit, qui ad germinationem ſufficiat. Aqua verò in qua maduit, abiicitur: ſi faciendum zythum eſſet, hæc reſeruanda eſſet. Genere igitur zythum & cereuiſia conueniunt, quia potus; ſpecie, quia ex hordeo; at ſpecie ſpecialiſſima (ſi ita dicere liceat) multum differunt. Aqua in qua hordeum crudum maduit, ac reſolutũ eſt, zythum eſt; cereuiſia verò ex hordeo poſt germinationem reſiccato, ac quodammodo toſto decocta eſt. Nunc ad aliud. Gedanenſem cereuiſiam conſtat euidenti experimento abſtergendi, aluum leniendi, atque ſubducendi vim habere; licet tamen id omnibus, quibus ſcilicet aluus natura durior, ac minùs bilioſa, non efficiat: iis enim potiſſimũ hoc beneficij præſtat, quibus copioſior bilis à

natura ad inteſtina defertur. Ego qua ratione coquatur non vidi; amico homini credere placuit, qui tentaſſe ſe eius decoctionem ex multo malto cum lupulo mihi aſſeruit, atque non diſſimilem Gedanæ cereuiſiam ſe decoxiſſe. Scio etiam cereuiſiam Martiam, quæ hic Gedanenſi ſapore ac colore quodammodo ſimilis, verùm tenuior coquitur, aluum quoque in nonnullis, quibus facilis eſt, ſubinde placidè mouere, & ex ſolis frugibus maximè malto coctam eſſe. Aiunt plærique Gedanenſem ſemen lini recipere; alij negant: veritatem ægrè reſcire potuimus. Quæris vnde cereuiſiæ dulcedini admixtus amaror, atque abſtergendi atque aluum leniendi vis: hordeum, ais, in exiccando & refrigerando primi eſt ordinis; id non negatur. Sed quid de malto dices? exiſtimáſne id ἐμπυρεύματος multum habere, & caliditatem aſcititiam multam retinere? tam ſiliquæ, & veſiculi, quibus hordei ſemen continetur, partim abſtergendi vim habent: quæ eo amplius ſeſe exerit, quo plus medullæ in germen abſumptum eſt. Triticum, ſcribis ægrè concoqui, flatus excitare, laborioſum ventriculo eſſe; non puto te exiſtimare de alio, quàm de integro aſſumpto accipiendum eſſe, & de omni opere ex tritico neutiquam intelligendum eſſe: Si omnia ex tritico talia eſſent, non laudandus, ſed vituperandus tritici vſus foret. Si non omnia, proximum eſt docere has primas qualitates cereuiſiam à tritico retinere; quod vt nunquam feceris, ita ex ſolo tritico cereuiſiam parari nunquam perſuaſeris; præcipua enim cereuiſiæ materia maltum eſt. Simile autem ignauius argumentum eſt, quod de pane affers;

affers: nam panis & cereuiſia differũt; imò panis à pane differt: σκληρίτης obſtruit; παραδελίτης facilius deſcendit; συγκόμιστος omnino, ac facillimè deſcendit. Quod ſi horum alicui cereuiſiam comparare velis, non ſiligineo, ſed ſyngomiſto conferenda erit; nam puram farinam abſque furfuribus non recipit; ſed veluti ſyngomiſtos farinam confuſaneam, cũ omnibus ſuis videlicet furfuribus. Dulcedinem ais ex frumentorum copia accedere, à zea & tritico id verum eſſe negari non poteſt; accidit & aciditas à ſecali ſæpe. Nam cereuiſia cum ſecali cocta citiſſimè aceſcit; ea propter qui acetum faciunt, multum ac copioſum ſecalem cereuiſiæ incoqui curant. Facit zea & triticum cereuiſiam etiam candidiorem, ſechle nigriorem. De malto hordeaceo quid dicemus? quòd ἐμπύρευμα, ac à fumo colorem obſcuriorem habet, an ne hoc poſſe amaritudinem cereuiſiæ addere exiſtimas? præſertim accedente lupulo, qui amaritudinem adauget: cuius copia addita Lubecenſis, quæ malti minus, lupuli verò plus quàm Gedanenſis habere videtur, quamuis amaritudinem hinc non ſolùm contrahit cereuiſiam, ſed etiam colorem illum obſcuriorem, præſertim ſi diutiùs decoquatur; longior enim coctura cùm ad amarorem, tum ad obſcuriorem colorem multũ addit momenti. Noui virum qui per feruentem æſtatem, maltũ ſuum non ſubiecto igne, ſed in ſole ſiccauerat, huius omnis cereuiſia quouis modo coctá candida permanebat, & ἐμπύρευμα non reſipiebat, cùm aliâs fuiſſet nigra (vt vocant:) vnde euidens eſt ab empyreumate malti etiam colorari cereuiſiam, & amaritudinis

 non-

nonnihil attrahere. Exiſtimas præterea hordeum in aqua maceratione abſterſionē amiſiſſe;eſto, aliquid ei deceſſit, poteſt ne ignis ſubiecti ἐμπύρευμα abſterſionem illi nouam addidiſſe, vnde cineri & lixiuio abſtergendi vis niſi ab ignis inhærente empyreumate? Neque eſt quod putes cereuiſiam Gedànenſem, per accidens aluum mouere, per aſtrictionem veluti meſpila,ac cidonia;ſapor enim eius inprimis abeſt longiſſimè ab omni aſtrictionis nota:vbi latet ergò eius aſtringens vis qui cidoniis,meſpiliſue comparari poſſit,aut debeat? Iam & aluum non mouet poſt cibum, vt de aſtringentibus Galenus ſcribit,ſed ante cibum in ieiuno,vel initio cibi ſumpta: neque ſemper mouet,ſed parcè ſumpta: nam copioſa diutiùs propter craſſitiem ſuam,ac lentorem in ventriculo permanet: quod, non dubito,mirum tibi videtur, ſed cauſſa eſt, vt ſcripſi,ipſius cereuiſiæ lentor, qui ſe exerit quum copioſa aſſumitur. Vbi vnus aut alter cyathus tantùm ſumuntur,lentor nihil nocere poteſt,amaritudo; & abſterſio tunc proſunt. Compoſita eſt Gedanenſis cereuiſia ex huiuſmodi diſſimilibus qualitatibus; quod minimè mirum eſt,quum & ſimplicia reperiantur, ex contrariis facultatibus permixta,vt Galenus teſtatur. Sed de his aliâs. De coctoribus cereuiſiæ optimo iure conquereris. Hodie ſic parant cereuiſiam, vt non cereuiſia,ſed potus ſit medicatus; tanta eſt miſcellanearum multitudo. Scripſit de cereuiſiis Ioannes Placotomus Regiomontanæ ſcholæ profeſſor;eum libellum velim abs te legi;reperies illum teſtari Gedanenſem cereuiſiam aluum mollire: liber excuſus eſt Franco-

forti;

forti;titulus eſt, De bona valetudine tuenda Eobani Heſſi, cum commentariis doctiſſimis, illuſtratus à Ioanne Placotomo &c. Bene vale, & hæc noſtra obiter inter occupationes ſcripta boni conſule.

DE IISDEM AD EVNDEM. XL.

QVOD *hactenus doctiſſimis tuis literis non reſponderim, mi Remberte, in cauſſa eſt, quòd totum hunc annũ Ioannis Placotomi fruſtra expectarim commentarios in Eobani Heſſi libellum De ſanitate tuenda: memini quidem me eundem antehac vidiſſe, ſed quando Eobani carmen ad manum eſſet, nõ videbatur nobis Placotomi in eundem commentariis opus eſſe, quum tot hodie extent in libros De ſanitate tuenda cõmentarij, quot vix vna queat vehere nauis. Quando igitur iiſdem carere hactenus contigit, præter inſtitutũ quàm potero breuiſſimè tuis reſpondebo literis. Neſcio igitur quomodo ſcribas, quòd aqua in qua hordeum crudum maduit, ac reſolutum eſt, zythum eſt; cereuiſiam autem ex malto, id eſt hordeo toſto decoctã eſſe: Siquidẽ quantumuis ex hordeo potum fieri dicat Dioſcorides cui zytho nomen ſit, non ob id inferendum eſt, zythum crudum eſſe, & ex crudo fieri hordeo; poteſt enim non ſecus ac in cereuiſia noſtra fieri cõſueuit, hordeum vſtulatione, aut alio quouis modo præparari: quod ſi minùs factum ſit, veriſimile certè eſt, zythi præparatores hordeum illud crudum in aqua maceratum decoxiſſe, ac proinde non rectè abs te appellari zythum crudum, præſertim quando Heſychius zythum dicat eſſe vinum ex aqua & hordeo coctum, cui & ſubſcribit Suidas. Æſchylus & Sophocles hoc vinum ex hordeo decoctum βρῦτον appellare maluerunt; vnde & coniectura eſt cereuiſiam noſtram patrio voca-*

bulo bier *appellari; parua literarum metatheſi, & poſterioris ſyllabæ apocope. Si tamen alios quàm Dioſcoridem, Plinium, atq; alios quàm quos in medium iam produxi, proferre potes, qui zythi exactiorem deſcriptionem reliquerint, lubens à concepta iam opinione reſiliam. Dioſcoridis certè Plinijq́; loci, quos iam proxima mea epiſtola produxi, paruum admodũ inter zythum & cereuiſiam noſtratem, quantum ego quidem coniicere poſſum, diſcrimen ſtatuere videntur. Nunc ad aliud: In malto dicis* ἐμπυρεύματος *multum contineri, vnde inſit ei aſſcititia caliditas. concedo hæc ita eſſe: Si tamen coctura rationem altiùs paulo ſcruteris, non inficiaberis* ἐμπυρεύματος*, aſſcititijq́; caloris portionem aliquam iterata illa maceratione quodãmodo conſumi; ſicuti plumbum crematum ac rurſus ablutum refrigerantis efficitur qualitatis, quum ante loturam mixtæ eſſet. Iam quod de ſiliquis & vtriculis, quibus hordei ſemen cõtinetur, ſubiicis; parum admodum me mouet: nam etiamſi abſterſionem (quod puto) qua præditi ſunt, vſtura non exuerint, non ſtatim ob hoc inferendum erit, abſtergendi facultatem cereuiſiæ ab vtriculis ineſſe, quando iidem contuſione illa, aut expreßione à polline ſecernantur, tanquam cereuiſiariæ coctura inutiles; ſolus enim malti, triticiq́; flos, in cereuiſiæ ſubſtantiam transfertur. Ignauum dicis quod de panibus in medium profero, quum iidem à cereuiſia multum differant; nam & panis à pane, vt ais, multum differt. quis hoc negat? an ideò perperam intuli, triticum per ſe flatus excitare, & laborioſum eſſe ventriculo? núnne Galenus libro De alimentorum facultatibus primo, ſic pronunciatum reliquit? Etſi de integro ſolidoq́; tantùm tritico idem intelligendum ſit, cur idem Galenus panes omnes qui fermento carent, nemini prorſus commodos*

modos

modos eſſe dicit? cur azymis promptè lædi teſtatur? nónne tritici flore non ſecus ac malti polline ad cereuiſiæ decoctionem vtimur? quid igitur cauillaris quæ de tritico in medium profero? Num quæſo aliunde craſsis illis cereuiſiis flatus quos excitant inſunt? vnde præcordiorum diſtorſiones, quàm ex copia triticei pollinis qui in cereuiſiæ ſubſtantiam ſegregatur? ſenties ſiquidem ſi craſsioribus aſſueſcas cereuiſiis, eaſdem prorſus laborioſas eſſe ventriculo, flatulentas, & præcordia diſtendentes. At ſi hæc ita ſunt, inquis, non laudandus, ſed vituperandus erit tritici vſus. Minimè gentium; nam farinaceum fermentum calefaciendi, furfuresq́ abſtergendi facultate quum præditi ſint, flatus quos pollen excitat, & difficultatem, quam ventriculo affert, facilè diſcutiant, atq. amoliuntur; alioqui ſi ex ſolo tritici flore panis ἄζυμος fiat, ventriculo laborioſus erit, flatusq́ excitabit; & quum valde nutriat, per aluum difficilè ſubſidebit. Dicis præterea Gedanenſem cereuiſiam euidenti experimento, abſtergendi, aluum leniendi, & ſubducendi vim habere: Id ego proximis meis literis negaui, & ſi quàmmaximè ita ſe habeat, id non acceptum ferendum tritici quod ingreditur copiæ, ſed aut lupulo ſalictario, aut hordeo, aut ſicuti nunc infers ἐμπυρεύματι, aut herbis, alioqui medicatis, aut faci cereuiſiariæ, quæ fermenti loco admiſcetur: ſiquidem dum recens adhuc eſt, neque bene fermentata, inflat, atque turgidũ potius reddit ventrem, quàm mouet, aut lubricum facit, neque antè aluum molliendi facultate prædita eſt, quàm ex iniecta cereuiſiaria fæce ætate acrimoniam conſecuta fuerit: Siquidem quòd acrimonia per ſe, aut aciditati aliquali commiſta aluum ſollicitet, quotidiana docet experientia: vt interim rationem omittamus, & Galenum taceamus paſsim id inculcantem.

cantem. Et quòd Martia noſtras cereuiſia (qua non antè vtimur quàm ſeptē aut octo ad minus menſium ætatem conſequuta fuerit) ventrem ſubindè placidè moueat, id non aliunde illi ineſt, quàm ex aciditate & acrimonia aſſcititia. Quòd intuli Gedanenſem cereuiſiā per accidens tantùm aluum mouere, id & mecum fatearis neceſſe eſt, niſi ætate (vt iam dictum eſt) acrimoniam adepta ſit: nam alioqui propter malti, triticeiq́; pollinis copiam per aluum difficilè ſecedet, & meatus infarciet, atque obſtruet: vnde & cogendo aluum ducere dixi, quanquam eam obſtructionem, quæ meſpilis, ſorbis cotoneiſq́; ineſt, eidem nequaquam attribuero. Nam quòd priore mea epiſtola eorundem meminerim, exempli tantùm cauſſa factum eſſe ſcias velim. At non omnibus, inquis, mouet aluum, verùm iis tantùm quibus copioſior à natura bilis ad inteſtina fertur; nam quibus aluus natura durior eſt, ac minùs bilioſa, nequaquam hoc beneficij præſtat. Quid hoc? númne omnem rationem ſubuertere, ac quod bilis acrimoniæ attribui debebat, Gedanenſi aſſcribere cereuiſiæ? quando enim apud omnes medicos in confeſſo ſit, inteſtinis bilis acrimonia irritatis frequentes eſſe alui deiectiones, cōſequens erit, alui lubricitatem hanc quā tu Gedanenſi attribuis cereuiſiæ, bili acceptam ferendam; quando, vt ipſe fateris, hoc beneficium nō præſtet iis, quibus natura minùs bilioſa eſt: non nego tamen, quin ſi inueterauerit, atque ex fermento acrimoniam aliquam aſſumpſerit, bilis acrimoniam admodum promotura ſit. Hæc ſunt, mi Remberte, quæ poſteriori tuæ epiſtolæ reſpondenda cenſui. Ignoſces interim ſi quando fuerim vehementior. Vale, Gouda.

DE EMBECENSI CEREVISIA: ad D. Hectorem Mithobium. XLI.

Lvbet iam iterum in ampliſſimo cereuiſiarum campo verſari, atq. toto terrarũ orbe ſaluberrimæ, ac celeberrimæ Embecenſis cereuiſiæ facultates expendere, eandemq́, à falſo illi hactenus attributa frigiditate, & vi calculi generatrice aſſerere. Quod etſi longè difficillimum factu mihi fore ſcirem, apud eos præſertim quibus placere non poteſt, niſi quod omnibus placuit, quod vt eſt apud Euripidem εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ: *non verebor tamen, ratione duce, breuibus quid ſentiã tanquam æquum iudicem in medium proferre. Ac primum quidem, quanquam non infitier eandem actu eſſe frigidam, quando, dum bibitur, inſigni quadam frigiditate ſumentes afficit, non ob id ſtatim inferendum eſt, eandem ſimpliciter frigidam dicendam eſſe, quando multa ſint quæ, quum actu frigida ſint, inter potentia calida tamen recenſentur; cuius ferè generis ſunt fontes illi acidi, in Arduenna ſylua; qui quum prima fronte refrigerent, poſtea tamẽ ſenſim calefaciunt, idq́, pro ſubiecti corporis ratione magis, aut minùs, ſicuti & noſtra hæc, de qua nobis mentio, eſt cereuiſia. Nam quantumcunque, vt diximus, iucunda quadam grataq́, frigiditate palatum noſtrum feriat, ſtatim tamen euaneſcit, ac in teporem quendam conuertitur. Quod illi aut à proba exactaq́, coctura, aut ratione ipſius aquæ, quæ leuis prorſus ſit, aut alioqui ab amaritudine (eſt enim inſigniter amara) ineſſe crediderim. Verùm vndecunque tandem cita illa alteratio illi inſit, non poteſt non ſummè commendari, quando exacta coctura, & bonitas aquæ (qualis eſt, teſte Hippocrate, quæ citò calefit, citoq́, frigeſcit) non parum momenti ad potus*

bonitatem

bonitatem afferant. At amara illa qualitas, quam Embecenſi cereuiſiæ ineſſe dixi, ad inſtitutum noſtrum plurimum facit, vt quæ quum manifeſti caloris nota ſit, tenuium etiam ſit partium; quo fit vt cereuiſia hæc dum ocyſſimè ad ouritides membranas defertur, in impuris, & craſſi ſucci plenis corporibus, non rarò, pituitoſum, craſſum lentumq́ ſuccum in renes conuehat, quæ ſenſim in tophaceam duriciem gelaſcens, calculi ſuſpicionẽ præbet. Hinc cùm vulgo medici aliquot calculi generatricem cereuiſiam hanc appellant, non diſtinguentes ea quæ per ſe ſunt, ab iis quæ per accidens: quando modica ſua caliditate, & tenuitate partium, ſi purum alioqui nacta fuerit corpus, calculoſam materiam inciderit potiùs, ac comminuerit, atque eandem eduxerit, quàm eidem fomitem aliquem ſubminiſtrarit, quemadmodum etiam facit vinum tenue ὀλιγοφόρον, atq. in ſumma omnia quæ citra manifeſtam aliquam qualitatem facilè per meatus vrinarios præterlabuntur, quæ alioqui in impuris & cacochymis corporibus ſuſpecta eſſe ſolent, ſicuti diuretica omnia; quod ventriculi humores, & inteſtinorum, atq. adeò in ipſis venis contentos ad renes dirigant. Neq. puto cereuiſiam hanc niſi vltra quàm naturæ ſatis ſit bibatur, noxam aliquam corpori aut renibus illaturam etiam in impuriſſimis corporibus; quando tenuitas ſubſtantiæ, & moderatus calor faciant, vt quam ocyſſimè corporis noſtri ideæ aſſimiletur. Adde quòd quantumuis facilè ad vrinarios meatus deferatur, manifeſtæ tamen alicuius extraneæ qualitatis non ſit particeps, quæ obuios humores ad ſeſe alliciens, eoſdem ad renes, aut veſicam conuehat; quum videamus multos calculo laborantes, huius ſolius moderato vſu, vnà cum lotio, interim grumos quoſdam, aut craſſiores arenulas, interim etiam citra

moleſtiam

moleſtiam calculos expellere. Quæ quum ita ſe habeant, mirum eſt etiam in Principum aulis (vt vulgus omittam) tolerari vſque adeò peruerſum de ſaluberrimæ cereuiſiæ facultate iudicium. Verùm tam eſt hodie conceptæ opinionis pertinax aſſertio quorundam, vt etiamſi indies ſuis oculis ſecus euenire conſpiciant, nolint tamen reſipiſcere, atq; cum multis inſanire malunt, quàm cum paucis ſapere; quod & eos facere conſtanter affirmo, qui huic cereuiſiæ has duas notas inurunt, & inuri patiuntur. Tu interim, mi Mithobi (quanquam per te ſatis ſapias) vel me ſuaſore quoties fert occaſio, laborantibus etiam renibus frigidocalda hac vtitor cereuiſia, & febrientibus qui ptiſanam auerſantur, liberè propinato; videbis enim vel huius ſolius vſu multos à grauiſſimis liberari febribus, atque eos præſertim qui eius potioni aſſueuerunt. Neque id cuiquam mirum videri debeat, quando Galenus ſolius frigidæ potione à febribus reſtitutos ſcribat.

VOCABVLA NONNVLLA BELGICA è Græco Latinóque manare fonte: ad Georgium Caſſandrum. XLII.

DICI vix poteſt, mi Caſſander, quanto antiquitatum Flandricarum iamdudum abs te promiſſarum deſiderio tenear: ſcio enim annis octodecim, aut eo amplius, dum Lutetiæ Pariſiorum familiariter coniueremus, quàm iniquo animo quarundam gentium ſupercilium ferre ſolebas, qui etſi ab ipſa Gotthorum, aut Vandalorum confuſa barbarie originem traherent; non vererentur tamen genus ſuum ad Pompeios, Fabios, Scipiones, atque adeò ipſos Eteobutadas referre, & ſummatim præ ſe omnes tanquam barbaros, & ab auita nobilitate dege-

degenerantes contemnere. Audimus enim iam paſsim Caſtilianos, cum Tuſcanis de linguæ puritate, & antiquitate altercari, quum hac vtraq. nihil impurius, nihil magis aut mixtum, aut corruptum ſit: quod facilè animaduertet, qui vtriuſque linguæ phraſes expendet. Videmus etiam Gallofrancos, ſi Diis placet, vel doctiſsimo Budæo, atque Bayfio aſſertoribus, ad Græciſmum quendam aſpirare, atque originem vocabulorum nonnullorum Græcis acceptam ferre: quod quidem, etſi ita eſſe demus, non tamen hinc inferendum erit, phraſi illa qua nunc vtuntur Gallofranci, olim etiã priſcos Gallos vſos fuiſſe; quum veriſimilius ſit Flandricam, atque eam quã reliqui vtuntur Belgæ, vt diſertiſsimè diſſerit Glareanus, verè eſſe Gallicam linguam. Argumento eſſe Gallicas nonnullas dictiones Plinio familiares, quæ à Gallofrancica illa lingua abhorreant plurimum: nam & nos anſerem ſicut priſci illi Galli, ganzam *vocamus, & Lutetiæ Pariſiorum regium illud magnificumq. ad Sequanam opus priſca illa, & verè Gallica lingua à* l'ouure *appellatur, quòd videlicet ad ripam Sequanæ ſitũ ſit: nos etenim ripam* eenen ouvre *appellamus, vt alia multa omittam: adeo vt hinc certum ſit linguam noſtram Belgicam (licet à vulgo, & imperitis qui meliora fere temnunt, pro nihilo habeatur) Italica, Hiſpanica, Gallofrancica, atque Anglica multo tum eſſe puriorem, tum antiquiorem, atque adeò Principibus viris quondam maximè fuiſſe familiarem: quod facilè conſtat ex duobus illis ſacris voluminibus Belgica lingua in Caroli Magni vſum conſcriptis, quorum alterum quod nouum Teſtamentũ continebat, in bibliotheca, ſi bene memini, Regia; alterũ, quod Pſalmos Dauidicos habet, Brugis in Diui Donatiani ſumma cura atque diligentia aſſeruatur. In quibus, bone*

Deus,

Deus, quas phraſes, quas dictiones, quam ſermonis puritatem, vbertatemq́ lingua animaduertimus! Illic videre erat Græciſmum quendam, ac, ſi fas eſt dicere, Romani eloquij cõmercium aliquod: quod etſi ante nos animaduerterint doctiſſimi viri Glareanus, ac Petrus Nannius, reliquiq́ non infœlicius Hadrianus Iunius, nos quoque in nonnullis demonſtrare conabimur, vt tandem caueant legulei aliquot, qui lites ex litibus ſerere conſueuerunt, antiquiſſimam noſtram linguam Gallofrancorum emendicatis vocibus conſpurcare. Et ne Græca cum Latinis confundam, primùm Græcas aliquot dictiones proferam, quæ cum noſtris communionem aliquam ſortitæ ſunt, ac deinceps Latinas ſubnectam. Dingen *igitur, hoc eſt intendere litem in iudicio, deductum eſt* ἀπὸ τῆς δίκης. raſen *dicimus pro non conſtare mente*, ἀπὸ τοῦ ῥαζεῖν *latrare, quòd videlicet omnibus oblatrent.* roncken ἀ ῥόγχος. *ab* ἔλπω *dicimus* helpen: *quòd confidentiores fiant quibus auxiliares ſubmittimus manus.* Lus *pro ſiniſtro*, ἀ λαιός. lampe ἀ λαμπάς. *ſic* lampers douck, ἀ λαμπρός, *quaſi* περιφανής. clincken, ἀ κλάγγω. eenen ſack, σάκκος. licken ἀ λείχω. vianden ἀ βιάομαι. brammen *idẽ eſt quod* τὸ βρεμέομαι, *hoc eſt per iram clamo.* braſſen *idem eſt quod* τὸ βρέξαι. grynſen ἀπὸ τοῦ γρύζειν, *quod lugere, ac mutire ſignificat.* ſpoeden, ἀ σπεύδειν. ἀ σπιλόω *fit* ſpiilen, *quòd ea quæ maculantur ac ſordeſcunt, fere in nihilũ redigantur.* ſtenen ἀ στένειν, *eiuſdem ſignificati verbo, nulla literarum immutatione facta. eiuſdem planè nota eſt* ſtellen ἀ στέλλειν. ſchole, σχολή. een theme, θέμα. telen ἀ τελέειν, *hoc eſt à germinando.* thoren *pro iracundia dicimus* ἀ θορυβέω, *quòd qui iraſcantur, magna ex parte tumultuari ſoleant.* ſtrangen ἀ στραγγεύω. vallen ἀ σφάλλειν. *item* θρώσκειν,

quod

quod Græcis generare ſignificat, noſtri troſſen *dicunt. à* θρόνος eenen throon. *à* θύρα, een deure, *hoc eſt ianuam, dicimus. à* μάτιον *menſuræ genere, nos omnem menſuram* een mate *appellamus. Græci* ὄλλειν *pro perdere, ac perire dicunt, nos* ollen *efferimus, quoties equi quaquauerſum diſcurrunt, neque frenis coërceri aut cohiberi poſſunt. tardos, pigrosq́ue, & quaſi clumbes,* lourdaux *appellamus, à morbo quem* λορδωσιν *vocant. à* θησαυρός, een theſoor, theſorier. *à* μῦς een muys. nemen *per antiphraſin à* νέμειν. obelyen *ab* ὀβελίζειν. dolen *à* δολόω. louter, *hoc eſt purum, à* λουτρὸν *deductum eſt, quòd qui è balueis veniant, mundi ac à ſordibus puri eſſe ſoleant.* een clooſter, *à* κλῆθρον. *Nec deſunt ciuitatibus atque prouinciis propriæ dialecti. nã Leydenſes* eenen ſtien *pro lapide efferunt, à* στίον *einſdẽ ſignificati dictione* mancop *Hollandi papauer appellant, à* μήκων. reynen *Flandrica dialectos eſt à* ῥαίνω, *quòd videlicet pluuia humectet ac aſpergat.* keiſſen *à* καῦσις *vel* ἀπὸ τοῦ καυσοῦν. *vnde manifeſtum eſt Flandros hic rectiùs etymon vocabuli exprimere quàm reliquos Belgas, qui cum R in hunc modum* kairſſen *ſcribendum mordicus aſſerunt. Fornacem, aut caminum, Gandenſes* een cane, *Brugenſes* een caſ koen *dicunt à* κάμινον. *Sed neque inſulsè quis* ſchepenen *ἀπὸ τοῦ σκήπτρου, quod ſceptrum Græcis ſonat, Scabinos noſtros vulgo dictos, deriuatos aſſerat. Neque aberrarit qui à* σπάω een ſpa *inſtrumentum foſſorium deducat. Atque hactenus quidem de Græcis. nunc ad ea quæ cum Latinis cognationem habẽt deueniamus. Ab aruo deductum eſt* een erve, *dictio omnibus Belgis paſſim communis. ab arando* eyeren. *à cathena* een keteene. *à muris* eenen muer *à viis ſtratis,* een ſtrate. *à lancea,* een lance, *Gellius tamen lanceam Hiſpanicum*

non

non Latinum verbum eſſe ſuſpicatur. à ponte, een ponte, *nauium quoddã genus eſt, quòd pontis vices in tranſuehendis equis aliiſq; impedimentis ſuppleat. ἱππαγωγὰς Græci vocant.* Venen *Hollandis peculiarem dictionem doctiſſimus Nannius à fœno deductam ſuſpicatur. Ego, ni quid obſtet prælectoris aliquando mei auctoritas, à venis ortam dicam, quòd videlicet ex his Batauorum venis ceſpites effodiantur, nõ ſecus ac ex aliis terræ venis viſceribusq; metalla eruuntur. Clauam* een kolue *appellamus; rapũ* een rape. *à molendino deriuatur* een moelen. *Poſſemus & alia multa in medium proferre: verùm quoniam in infinitum excreſceret numerus, his contenti erimus. Tu interim tuo non deſis officio, Flandricasq; illas antiquitates, iamdudum abs te inchoatas, abſoluere ac tandem in publicum emittere ne graueris rogo, atque auitam noſtram linguam à nonnullis calumniatoribus aſſerere pergito, facturus te dignum, & noſtris longè gratiſſimum opus.*

VTRVM IN MORBO GALLICO CON*ueniat exquiſita tenuiſq; victus ratio:*
ad Guliermum Pantinum. XLIII.

QVI *hodie conſuetam ſicuti vocant Practicorum Methodum (ſi modò ita dicere fas eſt) paulo accuratius in examen vocant, videbunt, (ni quid me fallit opinio) multos paſſim ad præſcriptorum quorundam formulas, atque vſitatam quandam victus rationem, non habita temporis, conſuetudinis, regionis, aut ætatis ratione, actiones ſuas dirigere: Id ſiquidem plerunque fallaciſſimo experimento deprehenditur; vt auctor eſt Plinius, quia dignitate indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri haud piget, haud alio fidei proniore*

(*Ariſtoteles ſiquidem vitam vno calore contineri author eſt,quantuluſcunque enim hic tandẽ fuerit,vita fruitur animans*) *neceſſum eſt, eos qui plurimum huius innati caloris habeant,eſſe viuidiores. Cæterùm quoniam calor hic perpetuò agit,& mouetur,opus illi erat alimento aliquo,quo ſuſtineretur; nam alioqui breuis erat futura animantium vita,niſi ſubſtantia aliqua qua aleretur calor hic,à natura attributa eſſet. Igitur natura,vt ſæpiùs iam dictum eſt, ſolers admodum, & induſtria, conceſſit ei pinguem quendam humorem, & aërium, qui in partium ſimilarium ſubſtantiam conſertus, omnem effugit oculorum aciem, hunc humidum radicale nonnulli appellant,hoc ſuſtentatur calor, hoc fouetur,hoc nutritur; & ſi quidem calor hic aliquantò vehementior,atque efficacior fuerit,& humor hic tenuior,videbis humidum id quam ocyſſimè conſumi, atque diffluere, ni congrua victus ratione humori illi noua ſuppeditetur materia, ac pro ratione abſumptæ materiæ ſubſtituatur alia; propterea Galenus libro octauo Methodi therapeuticæ* πικροχόλοις *nocentiſſimam eſſe dicit inediam, & ex longiore abſtinentia, acerrimas acutiſſimasq́; accidere febres, à quibus promptus ſit in hecticas tranſitus,atq. ab his rurſum in torridum maraſmum. Sin minor & languidior ſit calor, atque humidum ipſum aliquanto tenacius,calor vt imbecillior, neque ita multum efficax,humidum illud ſuum non tam facilè abſumet; quo fit, vt hic non vſque adeò multo alimento opus ſit; nam & ſenes, vt quibus calor languet, optimè, & citra moleſtiam ieiunium ferent.Vnde manifeſtum,ac luce clarius eſt,pro caloris ipſius ratione,inſtituendam eſſe victus rationem,vt interim morbos taceam. Nam victus tenuis,atq. exquiſitus (vt ait in Aphoriſmis Hippocrates) in longis qui-*

dem morbis ſemper, in acutis verò, & quibus non conuenit, periculoſus; quòd in longis morbis fouendæ ſint vires, vt natura longitudini morbi ferendo ſit. Quod ſi ita eſt; Gallica lue laborantibus nequaquam tenuis victus exhibendus erit, quum ad quadrageſimum vſque diem magna ex parte protrahi ſóleat; verùm talis qui paulo plenior ſit, niſi calor innatus languidior ſit, atque humidum radicale pinguius, tenaciusq́; tunc ſiquidem tenuis, (non tamen exquiſitè) victus aliquo modo ſuffecerit, ad conſeruandum virium robur; ſiquidem, vt auctor eſt Galenus, ſicuti lucernarum flammæ quamuis oleum pro alimento habeant, tamen ſi quis totum id ſuperinfundat, extinguantur potiùs quàm nutriantur: ſimili modo, in ſenibus & aliis quibus calor eſt remiſſior, alimentorum copia nocet calorem ſuffocans, & multitudine obruens. Quod ſi cum remiſſiore calore adiuncta ſit etiam pituitoſorum excrementorum copia, tum demum pauciore adhuc alimento opus habebit corpus. Videmus nanq. eos qui naturâ, vel cōſuetudine ſunt humidiores ac frigidiores, parum admodum appetere; & pauciſſimis exatiari cibis; quia deeſt calor qui multam abſumat ſubſtantiam: Sin qui laborat calida ſiccaq́; ſit temperie, maximum intuleris nocumentum per tenuem victum; atque id efficies, vt breui diſſipetur, atque effluat vniuerſus ille humor quem calorem innatum fouere diximus. Hypotheſis igitur illa quam à virium robore ſumunt Hippocrates & Galenus, pro caloris innati copia magna ex parte æſtimanda erit. Alteranda ergo erit victus ratio in morbo Gallico, prout ab hoc vel illo humore originem traxerit, & pro caloris innati copia. Si etenim à pituita craſſa; (ſolet nanque quatuor humoribus ortus ſui cauſſam aſſcribere, quanquam frequentiùs ex ebullitione & putre-

bulo biet *appellari; parua literarum metatheſi, & poſterioris ſyllabæ apocope. Si tamen alios quàm Dioſcoridem, Plinium, atq; alios quàm quos in medium iam produxi, proferre potes, qui zythi exactiorem deſcriptionem reliquerint, lubens à concepta iam opinione reſiliam. Dioſcoridis certè Pliniiq́; loci, quos iam proxima mea epiſtola produxi, paruum admodũ inter zythum & cereuiſiam noſtratem, quantum ego quidem coniicere poſſum, diſcrimen ſtatuere videntur. Nunc ad aliud: In malto dicis* ἐμπυρεύματος *multum contineri, vnde inſit ei aſſcititia caliditas. concedo hæc ita eſſe: Si tamen coctura rationem altiùs paulo ſcruteris, non inficiaberis* ἐμπυρεύματος, *aſſcititiiq́; caloris portionem aliquam iterata illa maceratione quodãmodo conſumi; ſicuti plumbum crematum ac rurſus ablutum refrigerantis efficitur qualitatis, quum ante loturam mixtæ eſſet. Iam quod de ſiliquis & vtriculis, quibus hordei ſemen cõtinetur, ſubiicis; parum admodum me mouet: nam etiamſi abſterſionem (quod puto) qua præditi ſunt, vſtura non exuerint, non ſtatim ob hoc inferendum erit, abſtergendi facultatem cereuiſiæ ab vtriculis ineſſe, quando iidem contuſione illa, aut expreſſione à polline ſecernantur, tanquam cereuiſiariæ coctura inutiles; ſolus enim malti, triticiq́; flos, in cereuiſiæ ſubſtantiam transfertur. Ignauum dicis quod de panibus in medium profero, quum iidem à cereuiſia multum differant; nam & panis à pane, vt ais, multum differt. quis hoc negat? an ideò perperam intuli, triticum per ſe flatus excitare, & laborioſum eſſe ventriculo? númne Galenus libro De alimentorum facultatibus primo, ſic pronunciatum reliquit? Etſi de integro ſolidoq́; tantùm tritico idem intelligendum ſit, cur idem Galenus panes omnes qui fermento carent, nemini prorſus commodos*

modos eſſe dicit? cur azymis promptè lædi teſtatur? nónne tritici flore non ſecus ac malti polline ad cereuiſiæ decoctionem vtimur? quid igitur cauillaris quæ de tritico in medium profero? Num quæſo aliunde craſsis illis cereuiſiis flatus quos excitant inſunt? vnde præcordiorum diſtorſiones, quàm ex copia triticei pollinis qui in cereuiſiæ ſubſtantiam ſegregatur? ſenties ſiquidem ſi craſsioribus aſſueſcas cereuiſiis, eaſdem prorſus laborioſas eſſe ventriculo, flatulentas, & præcordia diſtendentes. At ſi hæc ita ſunt, inquis, non laudandus, ſed vituperandus erit tritici vſus. Minimè gentium; nam farinaceum fermentum calefaciendi, furfuresq́ue abſtergendi facultate quum præditi ſint, flatus quos pollen excitat, & difficultatem, quam ventriculo affert, facilè diſcutiant, atq. amoliuntur; alioqui ſi ex ſolo tritici flore panis ἄζυμος fiat, ventriculo laborioſus erit, flatusq́ue excitabit; & quum valde nutriat, per aluum difficilè ſubſidebit. Dicis præterea Gedanenſem cereuiſiam euidenti experimento, abſtergendi, aluum leniendi, & ſubducendi vim habere: Id ego proximis meis literis negaui, & ſi quàmmaximè ita ſe habeat, id non acceptum ferendum tritici quod ingreditur copiæ, ſed aut lupulo ſalictario, aut hordeo, aut ſicuti nunc infers ἐμπυρεύματι, aut herbis, alioqui medicatis, aut fæci cereuiſiariæ, quæ fermenti loco admiſcetur: ſiquidem dum recens adhuc eſt, neque bene fermentata, inflat, atque turgidũ potius reddit ventrem, quàm mouet, aut lubricum facit, neque antè aluum molliendi facultate prædita eſt, quàm ex iniecta cereuiſiaria fæce ætate acrimoniam conſecuta fuerit: Siquidem quòd acrimonia per ſe, aut aciditati aliquali commiſta aluum ſollicitet, quotidiana docet experientia: vt interim rationem omittamus, & Galenum taceamus paſsim id inculcantem.

cantem. Et quòd Martia noſtras cereuiſia (qua non antè vtimur quàm ſeptē aut octo ad minus menſium ætatem conſequuta fuerit) ventrem ſubinde placidè moueat, id non aliunde illi ineſt, quàm ex aciditate & acrimonia aſcititia. Quòd intuli Gedanenſem cereuiſiā per accidens tantùm aluum mouere, id & mecum fatearis neceſſe eſt, niſi ætate (vt iam dictum eſt) acrimoniam adepta ſit: nam alioqui propter malti, triticeiq́; pollinis copiam per aluum difficilè ſecedet, & meatus infarciet, atque obſtruet: vnde & cogendo aluum ducere dixi, quanquam eam obſtructionem, quæ meſpilis, ſorbis cotoneisq́; ineſt, eidem nequaquam attribuero. Nam quòd priore mea epiſtola eorundem meminerim, exempli tantùm cauſſa factum eſſe ſcias velim. At non omnibus, inquis, mouet aluum, verùm iis tantùm quibus copioſior à natura bilis ad inteſtina fertur; nam quibus aluus natura durior eſt, ac minùs bilioſa, nequaquam hoc beneficij præſtat. Quid hoc? númne omnem rationem ſubuertere, ac quod bilis acrimoniæ attribui debebat, Gedanenſi aſcribere cereuiſiæ? quando enim apud omnes medicos in confeſſo ſit, inteſtinis bilis acrimonia irritatis frequentes eſſe alui deiectiones, cōſequens erit, alui lubricitatem hanc quā tu Gedanenſi attribuis cereuiſiæ, bili acceptam ferendam; quando, vt ipſe fateris, hoc beneficium nō præſtet iis, quibus natura minùs bilioſa eſt: non nego tamen, quin ſi inueterauerit, atque ex fermento acrimoniam aliquam aſſumpſerit, bilis acrimoniam admodum promotura ſit. Hæc ſunt, mi Remberte, quæ poſteriori tuæ epiſtolæ reſpondenda cenſui. Ignoſces interim ſi quando fuerim vehementior. Vale, Gouda.

DE EMBECENSI CEREVISIA: ad D.Hectorem Mithobium. XLI.

LVBET iam iterum in ampliſſimo cereuiſiarum campo verſari, atq. toto terrarũ orbe ſaluberrimæ, ac celeberrimæ Embecenſis cereuiſiæ facultates expendere, eandemq́ à falſo illi hactenus attributa frigiditate, & vi calculi generatrice aſſerere. Quod etſi longè difficillimum factu mihi fore ſcirem, apud eos præſertim quibus placere non poteſt, niſi quod omnibus placuit, quod vt eſt apud Euripidem εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ: *non verebor tamen, ratione duce, breuibus quid ſentiã tanquam æquum iudicem in medium proferre. Ac primum quidem, quanquam non inficier eandem actu eſſe frigidam, quando, dum bibitur, inſigni quadam frigiditate ſumentes afficit, non ob id ſtatim inferendum eſt, eandem ſimpliciter frigidam dicendam eſſe, quando multa ſint quæ, quum actu frigida ſint, inter potentia calida tamen recenſentur; cuius ferè generis ſunt fontes illi acidi, in Arduenna ſylua; qui quum prima fronte refrigerent, poſtea tamẽ ſenſim calefaciunt, idq́ pro ſubiecti corporis ratione magis, aut minùs, ſicuti & noſtra hæc, de qua nobis mentio, eſt cereuiſia. Nam quantumcunque, vt diximus, iucunda quadam grataq́ frigiditate palatum noſtrum feriat, ſtatim tamen euaneſcit, ac in teporem quendam conuertitur. Quod illi aut à proba exactaq́ coctura, aut ratione ipſius aquæ, quæ leuis prorſus ſit, aut alioqui ab amaritudine (eſt enim inſigniter amara) ineſſe crediderim. Verùm vndecunque tandem cita illa alteratio illi inſit, non poteſt non ſummè commendari, quando exacta coctura, & bonitas aquæ (qualis eſt, teſte Hippocrate, quæ citò caleſit, citoq́ frigeſcit) non parum momenti ad potus*

bonitatem

bonitatem afferant. At amara illa qualitas, quam Embecenſi cereuiſiæ ineſſe dixi, ad inſtitutum noſtrum plurimum facit, vt quæ quum manifeſti caloris nota ſit, tenuium etiam ſit partium; quo fit vt cereuiſia hæc dum ocyſsimè ad ouritides membranas defertur, in impuris, & craſsi ſucci plenis corporibus, non rarò, pituitoſum, craſſum lentumq́ue ſuccum in renes conuehat, quæ ſenſim in tophaceam duriciem gelaſcens, calculi ſuſpicionē præbet. Hinc cùm vulgo medici aliquot calculi generatricem cereuiſiam hanc appellant, non diſtinguentes ea quæ per ſe ſunt, ab iis quæ per accidens: quando modica ſua caliditate, & tenuitate partium, ſi purum alioqui nacta fuerit corpus, calculoſam materiam inciderit potiùs, ac comminuerit, atque eandem eduxerit, quàm eidem fomitem aliquem ſubminiſtrarit, quemadmodum etiam facit vinum tenue ὀλιγοφόρον, *atq. in ſumma omnia quæ citra manifeſtam aliquam qualitatem facilè per meatus vrinarios præterlabuntur, quæ alioqui in impuris & cacochymis corporibus ſuſpecta eſſe ſolent, ſicuti diuretica omnia, quod ventriculi humores, & inteſtinorum, atq. adeò in ipſis venis contentos ad renes dirigant. Neq. puto cereuiſiam hanc niſi vltra quàm naturæ ſatis ſit bibatur, noxam aliquam corpori aut renibus illaturam etiam in impuriſsimis corporibus; quando tenuitas ſubſtantiæ, & moderatus calor faciant, vt quam ocyſsimè corporis noſtri ideæ aſsimiletur. Adde quòd quantumuis facilè ad vrinarios meatus deferatur, manifeſtæ tamen alicuius extraneæ qualitatis non ſit particeps, qua obuios humores ad ſeſe alliciens, eoſdem ad renes, aut veſicam conuehat: quum videamus multos calculo laborantes, huius ſolius moderato vſu; vnà cum lotio, interim grumos quoſdam, aut craſsiores arenulas, interim etiam citra*

moleſtiam

moleſtiam calculos expellere. Quæ quum ita ſe habeant, mirum eſt etiam in Principum aulis (vt vulgus omittam) tolerari vſque adeò peruerſum de ſaluberrimæ cereuiſiæ facultate iudicium. Verùm tam eſt hodie conceptæ opinionis pertinax aſſertio quorundam, vt etiamſi indies ſuis oculis ſecus euenire conſpiciant, nolint tamen reſipiſcere, atq; cum multis inſanire malunt, quàm cum paucis ſapere; quod & eos facere conſtanter affirmo, qui huic cereuiſiæ has duas notas inurunt, & inuri patiuntur. Tu interim, mi Mirbobi (quanquam per te ſatis ſapias) vel me ſuaſore quoties fert occaſio, laborantibus etiam renibus frigidocalda hac vtitor cereuiſia, & febrientibus qui ptiſanam auerſantur, liberè propinato; videbis enim vel huius ſolius vſu multos à grauiſſimis liberari febribus, atque eos præſertim qui eius potioni aſſueuerunt. Neque id cuiquam mirum videri debeat, quando Galenus ſolius frigidæ potione à febribus reſtitutos ſcribat.

VOCABVLA NONNVLLA BELGIca è Græco Latinóque manare fonte: ad Georgium Caſſandrum. XLII.

DICI vix poteſt, mi Caſſander, quanto antiquitatum Flandricarum iamdudum abs te promiſſarum deſiderio tenear: ſcio enim annis octodecim, aut eo amplius, dum Lutetiæ Pariſiorum familiariter coniuneremus, quàm iniquo animo quarundam gentium ſupercilium ferre ſolebas, qui etſi ab ipſa Gotthorum, aut Vandalorum confuſa barbarie originem traherent; non verentur tamen genus ſuum ad Pompeios, Fabios, Scipiones, atque adeò ipſos Eteobutadas referre, & ſummatim præ ſe omnes tanquam barbaros, & ab auita nobilitate dege-

degenerantes contemnere. Audimus enim iam paſsim Caſtilianos, cum Tuſcanis de lingua puritate, & antiquitate altercari, quum hac vtraq. nihil impurius, nihil magis aut mixtum, aut corruptum ſit: quod facilè animaduertet, qui vtriuſque lingua phraſes expendet. Videmus etiam Gallofrancos, ſi Diis placet, vel doctiſsimo Budæo, atque Bayfio aſſertoribus, ad Græciſmum quendam aſpirare, atque originem vocabulorum nonnullorum Græcis acceptam ferre: quod quidem, etſi ita eſſe demus, non tamen hinc inferendum erit, phraſi illa qua nunc vtuntur Gallofranci, olim etiā priſcos Gallos vſos fuiſſe; quum veriſimilius ſit Flandricam, atque eam quā reliqui vtuntur Belgæ, vt diſertiſsimè diſſerit Glareanus, verè eſſe Gallicam linguam. Argumento eſſe Gallicas nonnullas dictiones Plinio familiares, quæ à Gallofrancica illa lingua abhorreant plurimum: nam & nos anſerem ſicut priſci illi Galli, ganzam *vocamus, & Lutetiæ Pariſiorum regium illud magnificumq́, ad Sequanam opus priſca illa, & verè Gallica lingua à* l'ouure *appellatur, quòd videlicet ad ripam Sequanæ ſitū ſit: nos etenim ripam* eenen ouvre *appellamus, vt alia multa omittam: adeo vt hinc certum ſit linguam noſtram Belgicam (licet à vulgo, & imperitis qui meliora fere temnunt, pro nihilo habeatur) Italica, Hiſpanica, Gallofrancica, atque Anglica multo tum eſſe puriorem, tum antiquiorem, atque adeò Principibus viris quondam maximè fuiſſe familiarem: quod facilè conſtat ex duobus illis ſacris voluminibus Belgica lingua in Caroli Magni vſum conſcriptis, quorum alterum quod nouum Teſtamentū continebat, in bibliotheca, ſi bene memini, Regia; alterū, quod Pſalmos Dauidicos habet, Brugis in Diui Donatiani ſumma cura atque diligentia aſſeruatur. In quibus, bone*

Deus,

Deus,quas phraſes,quas dictiones, quam ſermonis puritatem,vbertatemq́; linguæ animaduertimus! Illic videre erat Græciſmum quendam, ac, ſi fas eſt dicere, Romani eloquij cõmercium aliquod: quod etſi ante nos animaduerterint doctiſſimi viri Glareanus, ac Petrus Nannius, reliquisq́; non infœlicius Hadrianus Iunius, nos quoque in nonnullis demonſtrare conabimur, vt tandem caueant legulei aliquot,qui lites ex litibus ſerere conſueuerunt, antiquiſſimam noſtram linguam Gallofrancorum emendicatis vocibus conſpurcare. Et ne Græca cum Latinis confundam,primùm Græcas aliquot dictiones proferam, quæ cum noſtris communionem aliquam ſortitæ ſunt,ac deinceps Latinas ſubnectam. Dingen igitur,hoc eſt intendere litem in iudicio, deductum eſt ἀπὸ τῆς δίκης. raſen dicimus pro non conſtare mente, ἀπὸ τοῦ ῥαζεῖν latrare, quòd videlicet omnibus oblatrent. roncken à ῥόγχος. ab ἔλπω dicimus helpen: quòd confidentiores fiant quibus auxiliares ſubmittimus manus. Lus pro ſiniſtro, à λαιός. lampe à λαμπάς. ſic lampers douck, à λαμπρός, quaſi περιφανής. clincken, à κλάγγω. eenen ſack, σάκκος. licken à λείχω. vianden à βιάομαι. brammen idē eſt quod τὸ βρεμέομαι, hoc eſt per iram clamo. braſſen idem eſt quod τὸ βρέξαι. grynſen ἀπὸ τοῦ γρύζειν, quod lugere, ac mutire ſignificat. ſpoeden, à σπεύδειν. à σπιλόω fit ſpiilen, quòd ea quæ maculantur ac ſordeſcunt,fere in nihilū redigantur. ſtenen à ςένειν, eiuſdem ſignificati verbo, nulla literarum immutatione facta. eiuſdem planè notæ eſt ſtellen à ςέλλειν. ſchole, σχολή. een theme, θέμα. telen à τελέειν,hoc eſt à germinando. thoren pro iracundia dicimus à θορυβέω,quòd qui iraſcantur, magna ex parte tumultuari ſoleant. ſtrangen à ςραγγεύω. vallen à σφάλλειν. item θρασύτης,

quod

quod Græcis generare ſignificat, noſtri troſſen *dicunt. à* θρόνος eenen throon. *à* θύρα, een deure, *hoc eſt ianuam, dicimus. à* μάτιον *menſuræ genere, nos omnem menſuram* een mate *appellamus. Græci* ὄλλειν *pro perdere, ac perire dicunt, nos* ollen *efferimus, quoties equi quaquauerſum diſcurrunt, neque frenis coërceri aut cohiberi poſſunt. tardos, pigrosq́; & quaſi clumbes,* lourdaux *appellamus; à morbo quem* λόρδωσιν *vocant. à* θησαυρός, een theſoor, theſorier. *à* μῦς een muys. nemen *per antiphraſin à* νέμειν. obelyen *ab* ὀβελίζειν. dolen *à* δολόω. louter, *hoc eſt purum, à* λουτρὸν *deductum eſt, quòd qui è balneis veniant, mundi ac à ſordibus puri eſſe ſoleant.* een clooſter, *à* κλῆθρον. *Nec deſunt ciuitatibus atque prouinciis propriæ dialecti. nã Leydenſes* eenen ſtien *pro lapide efferunt, à* στίον *einſdẽ ſignificati dictione* mancop *Hollandi papauer appellant, à* μήκων. reynen *Flandrica dialectos eſt à* ῥαίνω, *quòd videlicet pluuia humectet ac aſpergat.* keiſſen *à* καῦσις *vel* ἀπὸ τοῦ καυσμοῦ. *vnde manifeſtum eſt Flandros hic rectiùs etymon vocabuli exprimere quàm reliquos Belgas, qui cum R in hunc modum* kairſſen *ſcribendum mordicus aſſerunt. Fornacem, aut caminum, Gandenſes* een cane, *Brugenſes* een caſ koen *dicunt à* κάμινον. *Sed neque inſulsè quis* ſchepenen ἀπὸ τοῦ σκήπτρου, *quod ſceptrum Græcis ſonat, Scabinos noſtros vulgo dictos, deriuatos aſſerat. Neque aberrarit qui à* σπάω een ſpa *inſtrumentum foſſorium deducat. Atque hactenus quidem de Græcis. nunc ad ea quæ cum Latinis cognationem habẽt deueniamus. Ab arno deductum eſt* een erve, *dictio omnibus Belgis paſſim communis. ab arando* eyeren. *à cathena* een keténe. *à murus* eenen muer. *à viis ſtratis*, een ſtrate. *à lancea*, een lance; *Gellius tamen lanceam Hiſpanicum*

non

non Latinum verbum eſſe ſuſpicatur. à ponte, een pon-te,*nauium quoddã genus eſt, quòd pontis vices in tranſ-uehendis equis aliiſq́ impedimentis ſuppleat.* ἱππαγωγὰς *Græci vocant.* Venen *Hollandis peculiarem dictionem doctiſſimus Nannius à fœno deductam ſuſpicatur. Ego, ni quid obſtet prælectoris aliquando mei auctoritas, à venis ortam dicam, quòd videlicet ex his Batauorum venis ceſpites effodiantur, nõ ſecus ac ex aliis terræ venis viſce-ribuſq́ metalla eruuntur. Clauam* een kolue *appella-mus; rapũ* een rape. *à molendino deriuatur* een moe-len. *Poſſemus & alia multa in medium proferre: ve-rùm quoniam in infinitum excreſceret numerus, his con-tenti erimus. Tu interim tuo non deſis officio, Flandri-caſq́ illas antiquitates, iamdudum abs te inchoatas, ab-ſoluere ac tandem in publicum emittere ne graueris ro-go, atque auitam noſtram linguam à nonnullis calum-niatoribus aſſerere pergito, facturus te dignum, & noſtris longè gratiſſimum opus.*

VTRVM IN MORBO GALLICO CON-*ueniat exquiſita tenuiſq́ victus ratio:* ad Gulielmum Pantinum. XLIII.

QVI hodie conſuetam *ſicuti vocant Practicorum Methodum (ſi modò ita dicere fas eſt) paulo ac-curatius in examen vocant, videbunt, (ni quid me fallit opinio) multos paſſim ad præſcriptorum quorun-dam formulas, atque vſitatam quandam victus ratio-nem, non habita temporis, conſuetudinis, regionis, aut ætatis ratione, actiones ſuas dirigere: Id ſiquidem plerun-que fallaciſſimo experimento deprehenditur, vt auctor eſt Plinius, quia dignitate indagare vera pigeat, ignoran-tia pudore mentiri haud piget, haud alio ſidei proniore*

lapſu,quàm vbi falſæ rei grauis teſtis exiſtit; & in multos,proh dolor,adeò imperium agit ſæuiſſimus tyrannus conſuetudo,vt ab hac vel latam receßiſſe vnguem ſumma ſit religio : & quemadmodum Methodici illi ad exquiſitam ſuam diatriton cibandi tempora expendebant: ſic nunc quoque, ſi diis placet ; cum agyrtis omnes fere ad vnum medici,atq. adeò hi qui primas ſibi in arte noſtra vendicant, lue Hiſpanica laborantibus non verentur exquiſitam illam, exactámq; diætam ab empeiricis tanquam per manus traditam, non habito reſpectu hypotheſeos,quæ à virium robore ſumitur,præſcribere,atque ipſos patientes, quos alioqui minimo negocio percurarent,exquiſita illa ſua carnificina in maximum vitæ diſcrimen conÿcere. Ita ſæuiſſimæ conſuetudinis tyrannidi ſubiecti,mancipatíq; ſunt homines planè ſubiugi,vt malint cum ſummo Reip. periculo empeiriam illam ſequi, quàm victus rationem variare,pro temporis,ætatis,morbi,regionis,conſuetudinisq; ratione. Docet ſiquidem nos ars noſtra alia longè cibatione acuto morbo laborantibus, alio chronio opus eſſe,atque aliam deſiderare ſenes,aliam iuuenes. Senes enim optime ieiunium ferunt, & qui creſcunt,plurimũ habent calidi innati,pluri igitur egent alimento,alioqui corpus abſumeretur : Ac rurſus aliam inſtituendam eſſe cibationem æſtatè, aliam hyeme; nam & ventres ipſi hyeme, & vere natura calidißimi ſunt, ſomniq; longißimi : quare per ea tempora copioſius nutriendum docet Hippocrates. Et æſtate,& autumno difficillimè cibos ferunt; hyeme,facillimè; ſecundum locum ver habet. Et quòd conſuetudini aliquid dandum ſit,docet idem in aphoriſmis,quibus enim ſemel, aut bis, offerendum eſt,inquit,& plura aut pauciora, particulatim animaduertendum,dandum verò aliquid conſuetudini,

dini, tempori, ætati, & regioni: adeò multa in cibatione obſeruanda monuerunt veteres illi medici, vt non leuiſſima artis noſtræ pars, ſcientia ordinandi cibos eſſe videatur; quam tamen nonnulli ita in ordinem redigunt, vt eam horæ vnius ſpacio quiuis etiam diſcere poſſit, quando omnibus penè ex æquo eandem victus rationem non citra maximum vitæ periculũ, in morbo Gallico, vt iam dixi, præſcribere non verentur, quum deberent cognito prius virium robore, morbi ratione, atque ipſa adeò conſuetudine eandem inſtituere, atque pro maioris minorisq́; ratione variare. Siquidem, vt libro De ratione victus in morbis acutis ait Hippocrat. Oportet autem & ex ſanorum hominum victu diſciplinam facere, quæ confert; nam ſi ſanis quibuſdam tales, vel tales cibi variare videantur, tum in aliis quibuſdam, tum in nonnullis mutationibus, quomodo & in morbis quibuſdam, & maximè acutis non euariabunt? nam & quæ conſueta ſunt, etſi deteriora, melioribus inſuetis meliora cenſentur. Adde quòd ſunt aliquot naturæ quibus aut nihil, aut non magnopere incommodet trium aut quatuor dierum inedia, ſicut è diuerſo aliæ, quibus non ſolùm innoxia, ſed etiam vtilis eſt tot dierum inedia; nam corpus bene difflabile, ad cibationem ſtimulat; & quod ægrè difflatur, ad contraria agit, quodq́; tenues habet ſuccos ad cibandum inducit; quod his non conſtat contrarium demonſtrat. Auctor eſt enim Galenus libro Methodi therapeutices, multos in atrophiam incidiſſe, quibus quum difflabile eſſet corpus, methodici illi admirandam ſuam diatriton præſcripſiſſent. Neque id mirum: nam ſi cõſtans & rata prorſus ſit ſententia, viuentia omnia propter incluſum in ſe calorem viuere, illius beneficio alimentum trahere, conficereq́; atque eo nutriri, augeſcere, & ſuſtineri,

K 2 (*Ariſto-*

*(Ariſtoteles ſiquidem vitam vno calore contineri auctor
eſt, quantuluſcunque enim hic tandẽ fuerit, vita fruitur
animans) neceſſum eſt, eos qui plurimum huius innati
caloris habeant, eſſe viuidiores. Cæterùm quoniam calor
hic perpetuò agit, & mouetur, opus illi erat alimento ali-
quo, quo ſuſtineretur; nam alioqui breuis erat futura
animantium vita, niſi ſubſtantia aliqua qua aleretur ca-
lor hic, à natura attributa eſſet. Igitur natura, vt ſæpiùs
iam dictum eſt, ſolers admodum, & induſtria, conceſſit
ei pinguem quendam humorem, & aërium, qui in par-
tium ſimilarium ſubſtantiam conſertus, omnem effugit
oculorum aciem, hunc humidum radicale nonnulli ap-
pellant, hoc ſuſtentatur calor, hoc fouetur, hoc nutritur;
& ſi quidem calor hic aliquanto vehementior, atque ef-
ficacior fuerit, & humor hic tenuior, videbis humidum id
quam ocyſſimè conſumi, atque diffluere, ni congrua vi-
ctus ratione humori illi noua ſuppeditetur materia, ac
pro ratione abſumptæ materiæ ſubſtituatur alia; pro-
pterea Galenus libro octauo Methodi therapeuticæ πικρο-
χόλοις nocentiſſimam eſſe dicit inediam, & ex longiore
abſtinentia, acerrimas acutiſſimasq́; accidere febres, à
quibus promptus ſit in hecticas tranſitus, atq. ab his rur-
ſum in torridum maraſmum. Sin minor & languidior
ſit calor, atque humidum ipſum aliquanto tenacius, ca-
lor vt imbecillior; neque ita multum efficax, humidum
illud ſuum non tam facilè abſumet; quo fit, vt hic non
vſque adeò multo alimento opus ſit; nam & ſenes, vt
quibus calor languet, optimè, & citra moleſtiam ieiu-
nium ferent. Vnde manifeſtum, ac luce clarius eſt, pro ca-
loris ipſius ratione, inſtituendam eſſe victus rationem, vt
interim morbos taceam. Nam victus tenuis, atq. exqui-
ſitus (vt ait in Aphoriſmis Hippocrates) in longis qui-*

dem morbis ſemper,in acutis verò,& quibus non conuenit,periculoſus;quòd in longis morbis fouendæ ſint vires, vt natura longitudini morbi ferendo ſit. Quod ſi ita eſt; Gallica lue laborantibus nequaquam tenuis victus exhibendus erit, quum ad quadrageſimum vſque diem magna ex parte protrahi ſoleat; verùm talis qui paulo plenior ſit,niſi calor innatus languidior ſit,atque humidum radicale pinguius,tenaciusq́;:tunc ſiquidem tenuis, (non tamen exquiſitè) victus aliquo modo ſuffecerit,ad conſeruandum virium robur; ſiquidem, vt auctor eſt Galenus, ſicuti lucernarum flammæ quamuis oleum pro alimento habeant, tamen ſi quis totum id ſuperinfundat, extinguantur potiùs quàm nutriantur: ſimili modo, in ſenibus & aliis quibus calor eſt remiſsior, alimentorum copia nocet calorem ſuffocans, & multitudine obruens. Quod ſi cum remiſsiore calore adiuncta ſit etiam pituitoſorum excrementorum copia, tum demum pauciore adhuc alimento opus habebit corpus. Videmus nanq. eos qui naturâ,vel cõſuetudine ſunt humidiores ac frigidiores, parum admodum appetere, & pauciſsimis exatiari cibis; quia deeſt calor qui multam abſumat ſubſtantiam: Sin qui laborat calida ſiccaq́; ſit temperie,maximum intuleris nocumentum per tenuem victum; atque id efficies,vt breui diſsipetur,atque effluat vniuerſus ille humor quem calorem innatum fouere diximus. Hypotheſis igitur illa quam à virium robore ſumunt Hippocrates & Galenus, pro caloris innati copia magna ex parte æſtimanda erit. Alteranda ergo erit victus ratio in morbo Gallico,prout ab hoc vel illo humore originem traxerit, & pro caloris innati copia. Si etenim à pituita craſſa; (ſolet nanque quatuor humoribus ortus ſui cauſſam aſſcribere,quanquam frequentiùs ex ebullitione & putre-

bulo bier *appellari, parua literarum metatheſi, & poſterioris ſyllabæ apocope. Si tamen alios quàm Dioſcoridem, Plinium, atq; alios quàm quos in medium iam produxi, proferre potes, qui zythi exactiorem deſcriptionem reliquerint, lubens à concepta iam opinione reſiliam. Dioſcoridis certè Pliniją; loci, quos iam proxima mea epiſtola produxi, paruum admodū inter zythum & cereuiſiam noſtratem, quantum ego quidem coniicere poſſum, diſcrimen ſtatuere videntur. Nunc ad aliud: In malto dicis* ἐμπυρεύματ☉- *multum contineri, vnde inſit ei aſſcititia caliditas. concedo hæc ita eſſe: Si tamen coctura rationem altiùs paulo ſcruteris, non inficiaberis* ἐμπυρεύματ☉-, *aſſcititijq; caloris portionem aliquam iterata illa maceratione quodāmodo conſumi; ſicuti plumbum crematum ac rurſus ablutum refrigerantis efficitur qualitatis, quum ante loturam mixtæ eſſet. Iam quod de ſiliquis & vtriculis, quibus hordei ſemen cōtinetur, ſubiicis; parum admodum me mouet: nam etiamſi abſterſionem (quod puto) qua præditi ſunt, vſtura non exuerint, non ſtatim ob hoc inferendum erit, abſtergendi facultatem cereuiſiæ ab vtriculis ineſſe, quando iidem contuſione illa, aut expreſſione à polline ſecernantur, tanquam cereuiſiariæ cocturæ inutiles; ſolus enim malti, triticiq; flos, in cereuiſiæ ſubſtantiam transfertur. Ignauum dicis quod de panibus in medium profero, quum iidem à cereuiſia multum differant; nam & panis à pane, vt ais, multum differt. quis hoc negat? an ideò perperam intuli, triticum per ſe flatus excitare, & laborioſum eſſe ventriculo? númne Galenus libro De alimentorum facultatibus primo, ſic pronunciatum reliquit? Etſi de integro ſolidoq; tantùm tritico idem intelligendum ſit, cur idem Galenus panes omnes qui fermento carent, nemini prorſus commodos*

modos

modos eſſe dicit? cur azymis promptè lædi teſtatur? nónne tritici flore non ſecus ac malti polline ad cereuiſiæ decoctionem vtimur? quid igitur cauillaris quæ de tritico in medium profero? Num quæſo aliunde craßis illis cereuiſiis flatus quos excitant inſunt? vnde præcordiorum diſtorſiones, quàm ex copia triticei pollinis qui in cereuiſiæ ſubſtantiam ſegregatur? ſenties ſiquidem ſi craßioribus aſſueſcas cereuiſiis, eaſdem prorſus laborioſas eſſe ventriculo, flatulentas, & præcordia diſtendentes. At ſi hæc ita ſunt, inquis, non laudandus, ſed vituperandus erit tritici vſus. Minimè gentium; nam farinaceum fermentum calefaciendi, furfuresq́ abſtergendi facultate quum præditi ſint, flatus quos pollen excitat, & difficultatem, quam ventriculo affert, facilè diſcutiant, atq. amoliuntur; alioqui ſi ex ſolo tritici flore panis ἄζυμος fiat, ventriculo laborioſus erit, flatusq́ excitabit; & quum valde nutriat, per aluum difficilè ſubſidebit. Dicis præterea Gedanenſem cereuiſiam euidenti experimento, abſtergendi, aluum leniendi, & ſubducendi vim habere: Id ego proximis meis literis negaui, & ſi quàmmaximè ita ſe habeat, id non acceptum ferendum tritici quod ingreditur copiæ, ſed aut lupulo ſalictario, aut hordeo, aut ſicuti nunc infers ἐμπυρεύματι, aut herbis, alioqui medicatis, aut faci cereuiſiariæ, quæ fermenti loco admiſcetur: ſiquidem dum recens adhuc eſt, neque bene fermentata, inflat, atque turgidū potius reddit ventrem, quàm mouet, aut lubricum facit, neque antè aluum molliendi facultate prædita eſt, quàm ex iniecta cereuiſiaria face ætate acrimoniam conſecuta fuerit: Siquidem quòd acrimonia per ſe, aut aciditati aliquali commiſta aluum ſollicitet, quotidiana docet experientia: vt interim rationem omittamus, & Galenum taceamus paßim id inculcantem.

cantem. Et quòd Martia noſtras cereuiſia (qua non antè vtimur quàm ſeptē aut octo ad minus menſium ætatem conſequuta fuerit) ventrem ſubinde placidè moueat, id non aliunde illi ineſt, quàm ex aciditate & acrimonia aſcititia. Quòd intuli Gedanenſem cereuiſiā per accidens tantùm aluum mouere, id & mecum fatearis neceſſe eſt, niſi ætate (vt iam dictum eſt) acrimoniam adepta ſit: nam alioqui propter malti, triticeiq́ pollinis copiam per aluum difficilè ſecedet, & meatus infarciet, atque obſtruet: vnde & cogendo aluum ducere dixi, quanquam eam obſtructionem, quæ meſpilis, ſorbis cotoneisq́ ineſt, eidem nequaquam attribuero. Nam quòd priore mea epiſtola eorundem meminerim, exempli tantùm cauſſa factum eſſe ſcias velim. At non omnibus, inquis, mouet aluum, verùm iis tantùm quibus copioſior à natura bilis ad inteſtina fertur; nam quibus aluus natura durior eſt, ac minùs bilioſa, nequaquam hoc beneficij præſtat. Quid hoc? númne omnem rationem ſubuertere, ac quod bilis acrimoniæ attribui debebat, Gedanenſi aſcribere cereuiſiæ? quando enim apud omnes medicos in confeſſo ſit, inteſtinis bilis acrimonia irritatis frequentes eſſe alui deiectiones, cōſequens erit, alui lubricitatem hanc quā tu Gedanenſi attribuis cereuiſiæ, bili acceptam ferendam; quando, vt ipſe fateris, hoc beneficium nō præſtet iis, quibus natura minùs bilioſa eſt: non nego tamen, quin ſi inueterauerit, atque ex fermento acrimoniam aliquam aſſumpſerit, bilis acrimoniam admodum promotura ſit. Hæc ſunt, mi Remberte, quæ poſteriori tuæ epiſtolæ reſpondenda cenſui. Ignoſces interim ſi quando fuerim vehementior. Vale, Gouda.

DE EMBECENSI CEREVISIA: ad D. Hectorem Mithobium. XLI.

LVBET *iam iterum in ampliſſimo cereuiſiarum campo verſari, atq. toto terrarũ orbe ſaluberrimæ, ac celeberrimæ Embecenſis cereuiſiæ facultates expendere, eandemq́; à falſo illi hactenus attributa frigiditate, & vi calculi generatrice aſſerere. Quod etſi longè difficillimum factu mihi fore ſcirem, apud eos præſertim quibus placere non poteſt, niſi quod omnibus placuit, quod vt eſt apud Euripidem* εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ: *non verebor tamen, ratione duce, breuibus quid ſentiã tanquam æquum iudicem in medium proferre. Ac primum quidem, quanquam non infitier eandem actu eſſe frigidam, quando, dum bibitur, inſigni quadam frigiditate ſumentes afficit, non ob id ſtatim inferendum eſt, eandem ſimpliciter frigidam dicendam eſſe, quando multa ſint quæ, quum actu frigida ſint, inter potentia calida tamen recenſentur; cuius ferè generis ſunt fontes illi acidi, in Arduenna ſylua; qui quum prima fronte refrigerent, poſtea tamẽ ſenſim calefaciunt, idq́; pro ſubiecti corporis ratione magis, aut minùs, ſicuti & noſtra hac, de qua nobis mentio, eſt cereuiſia. Nam quantumcunque, vt diximus, iucunda quadam grataq́; frigiditate palatum noſtrum feriat, ſtatim tamen euaneſcit, ac in teporem quendam conuertitur. Quod illi aut à proba exactaq́; coctura, aut ratione ipſius aquæ, quæ leuis prorſus ſit, aut alioqui ab amaritudine (eſt enim inſigniter amara) ineſſe crediderim. Verùm vndecunque tandem cita illa alteratio illi inſit, non poteſt non ſummè commendari, quando exacta coctura, & bonitas aquæ (qualis eſt, teſte Hippocrate, quæ citò calefit, citoq́; frigeſcit) non parum momenti ad potus bonitatem*

bonitatem afferant. At amara illa qualitas, quam Embecenſi cereuiſiæ ineſſe dixi, ad inſtitutum noſtrum plurimum facit, vt quæ quum manifeſti caloris nota ſit, tenuium etiam ſit partium; quo fit vt cereuiſia hæc dum ocyſſimè ad ouritides membranas defertur, in impuris, & craſſi ſucci plenis corporibus, non rarò, pituitoſum, craſſum lentumq́ ſuccum in renes conuehat, quæ ſenſim in tophaceam duriciem gelaſcens, calculi ſuſpicionē præbet. Hinc cùm vulgo medici aliquot calculi generatricem cereuiſiam hanc appellant, non diſtinguentes ea quæ per ſe ſunt, ab iis quæ per accidens: quando modica ſua caliditate, & tenuitate partium, ſi purum alioqui nacta fuerit corpus, calculoſam materiam inciderit potiùs, ac comminuerit, atque eandem eduxerit, quàm eidem fomitem aliquem ſubminiſtrarit, quemadmodum etiam facit vinum tenue ὀλιγοφόρον, atq. in ſumma omnia quæ citra manifeſtam aliquam qualitatem facilè per meatus vrinarios præterlabuntur, quæ alioqui in impuris & cacochymis corporibus ſuſpecta eſſe ſolent, ſicuti diuretica omnia, quod ventriculi humores, & inteſtinorum, atq. adeò in ipſis venis contentos ad renes dirigant. Neq. puto cereuiſiam hanc niſi vltra quàm naturæ ſatis ſit bibatur, noxam aliquam corpori aut renibus illaturam etiam in impuriſſimis corporibus, quando tenuitas ſubſtantiæ, & moderatus calor faciant, vt quam ocyſſimè corporis noſtri ideæ aſſimiletur. Adde quòd quantumuis facilè ad vrinarios meatus deferatur, manifeſtæ tamen alicuius extraneæ qualitatis non ſit particeps, quæ obuios humores ad ſeſe alliciens, eoſdem ad renes, aut veſicam conuehat: quum videamus multos calculo laborantes, huius ſolius moderato vſu; vnà cum lotio, interim grumos quoſdam, aut craſſiores arenulas, interim etiam citra

moleſtiam

moleſtiam calculos expellere. Quæ quum ita ſe habeant, mirum eſt etiam in Principum aulis (vt vulgus omittam) tolerari vſque adeò peruerſum de ſaluberrimæ cereuiſiæ facultate iudicium. Verùm tam eſt hodie conceptæ opinionis pertinax aſſertio quorundam, vt etiamſi indies ſuis oculis ſecus euenire conſpiciant, nolint tamen reſipiſcere,atq; cum multis inſanire malunt, quàm cum paucis ſapere;quod & eos facere conſtanter affirmo, qui huic cereuiſiæ has duas notas inurunt, & inuri patiuntur. Tu interim,mi Mithobi (quanquam per te ſatis ſapias) vel me ſuaſore quoties feret occaſio, laborantibus etiam renibus frigidocalda hac vtitor cereuiſia, & febrientibus qui ptiſanam auerſantur,liberè propinato; videbis enim vel huius ſolius vſu multos à grauiſsimis liberari febribus, atque eos præſertim qui eius potioni aſſueuerunt. Neque id cuiquam mirum videri debeat, quando Galenus ſolius frigidæ potione à febribus reſtitutos ſcribat.*

VOCABVLA NONNVLLA BELGICA è Græco Latinóque manare fonte: ad Georgium Caſſandrum. XLII.

D*ICI vix poteſt,mi Caſſander,quanto antiquitatum Flandricarum iamdudum abs te promiſſarum deſiderio tenear: ſcio enim annis octodecim, aut eo amplius,dum Luteciæ Pariſiorum familiariter conuiueremus,quàm iniquo animo quarundam gentium ſupercilium ferre ſolebas,qui etſi ab ipſa Gotthorum, aut Vandalorum confuſa barbarie originem haberent;non vererentur tamen genus ſuum ad Pompeios, Fabios, Scipiones,atque adeò ipſos Eteobutadas referre,& ſummatim præ ſe omnes tanquam barbaros, & ab auita nobilitate*

degenerantes contemnere. Audimus enim iam paſſim Caſtilianos, cum Tuſcanis de linguæ puritate & antiquitate altercari, quum hac vtraq. nihil impurius, nihil magis aut mixtum, aut corruptum ſit: quod facilè animaduertet, qui vtriuſque linguæ phraſes expendet. Videmus etiam Gallofrancos, ſi Diis placet, vel doctiſſimo Budæo, atque Bayſio aſſertoribus, ad Græciſmum quendam aſpirare, atque originem vocabulorum nonnullorum Græcis acceptam ferre: quod quidem etſi ita eſſe demus, non tamen hinc inferendum erit, phraſi illa qua nunc vtuntur Gallofranci, olim etiā priſcos Gallos vſos fuiſſe; quum veriſimilius ſit Flandricam, atque eam quā reliqui vtuntur Belgæ, vt diſertiſſimè diſſerit Glareanus, verè eſſe Gallicam linguam. Argumento eſſe Gallicas nonnullas dictiones Plinio familiares, quæ à Gallofrancica illa lingua abhorreant plurimum: nam & nos anſerem ſicut priſci illi Galli, ganzam vocamus, & Lutetiæ Pariſiorum regium illud magnificumq́, ad Sequanam opus priſca illa, & verè Gallica lingua à l'ouure *appellatur, quòd videlicet ad ripam Sequanæ ſitū ſit: nos etenim ripam* eenen ouvre *appellamus, vt alia multa omittam: adeo vt hinc certum ſit linguam noſtram Belgicam (licet à vulgo, & imperitis qui meliora fere temnunt, pro nihilo habeatur) Italica, Hiſpanica, Gallofrancica, atque Anglica multo tum eſſe puriorem, tum antiquiorem, atque adeò Principibus viris quondam maximè fuiſſe familiarem: quod facilè conſtat ex duobus illis ſacris voluminibus Belgicæ linguæ in Caroli Magni vſum conſcriptis, quorum alterum quod nouum Teſtamentū continebat, in bibliotheca, ſi bene memini, Regia; alterū, quod Pſalmos Dauidicos habet, Brugis in Diui Donatiani ſumma cura atque diligentia aſſeruatur. In quibus, bone*

Deus,

Deus, quas phraſes, quas dictiones, quam ſermonis puritatem, vbertatemq́ue linguæ animaduertimus! Illic videre erat Græciſmum quendam, ac, ſi fas eſt dicere, Romani eloquij cõmercium aliquod: quod etſi ante nos animaduerterint doctiſsimi viri Glareanus, ac Petrus Nannius, reliquiſq́ue non infœlicius Hadrianus Iunius, nos quoque in nonnullis demonſtrare conabimur, vt tandem caueant legulei aliquot, qui lites ex litibus ſerere conſueuerunt, antiquiſsimam noſtram linguam Galloſrancorum emendicatis vocibus conſpurcare. Et ne Græca cum Latinis confundam, primùm Græcas aliquot dictiones proferam, quæ cum noſtris communionem aliquam ſortitæ ſunt, ac deinceps Latinas ſubnectam. Dingen igitur, hoc eſt intendere litem in iudicio, deductum eſt ἀπὸ τῆς δίκης. raſen dicimus pro non conſtare mente, ἀπὸ τοῦ ῥαζεῖν latrare, quòd videlicet omnibus oblatrent. roncken à ῥόγχος. ab ἐλπὶς dicimus helpen: quòd confidentiores fiant quibus auxiliares ſubmittimus manus. Lus pro ſiniſtro, à λαιός. lampe à λαμπάς. ſic lampers douck, à λαμπρός, quaſi περιφανής. clincken, à κλάγγω. eenen ſack, σάκκος. licken à λείχω. vianden à βιάομαι. brammen idẽ eſt quod τὸ βρεμύομαι, hoc eſt per iram clamo. braſſen idem eſt quod τὸ βράξαι. grynſen ἀπὸ τοῦ γρύζειν, quod lugere, ac mutire ſignificat. ſpoeden, à σπεύδειν. à σπιλόω fit ſpiilen, quòd ea quæ maculantur ac ſordeſcunt, fere in nihilũ redigantur. ſtenen à στένειν, eiuſdem ſignificati verbo, nulla literarum immutatione facta. eiuſdem planè notæ eſt ſtellen à στέλλειν. ſchole, σχολή. een theme, θέμα. telen à τελέειν, hoc eſt à germinando. thoten pro iracundia dicimus à θορυβέω, quòd qui iraſcantur, magna ex parte tumultuari ſoleant. ſtrangen à στραγγεύω. vallen à σφάλλειν. item θρώσκειν,

quod

quod Græcis generare ſignificat, noſtri troſſen *dicunt. à* θρόνος eenen throon. *à* θύρα, een deure, *hoc eſt ianuam, dicimus. à* μάτρον *menſuræ genere, nos omnem menſuram* een mate *appellamus. Græci* ὄλλειν *pro perdere, ac perire dicunt, nos* ollen *efferimus, quoties equi quaquauerſum diſcurrunt, neque frenis coërceri aut cohiberi poſſunt. tardos, pigrosq́, & quaſi clumbes,* lourdaux *appellamus; à morbo quem* λόρδωσιν *vocant. à* θησαυρός, een theſoor, theſorier. *à* μῦς een muys. nemen *per antiphraſin à* νέμειν. obelyen *ab* ὀβελίζειν. dolen *à* δολόω. louter, *hoc eſt purum, à* λουτρὸν *deductum eſt, quòd qui è balneis veniant, mundi ac à ſordibus puri eſſe ſoleant.* een clooſter, *à* κλῆθρον. *Nec deſunt ciuitatibus atque prouinciis propriæ dialecti. nã Leydenſes* eenen ſtien *pro lapide efferunt, à* στίον *eiuſdẽ ſignificati dictione* mancop *Holland: papauer appellant, à* μήκων. reynen *Flandrica dialectos eſt à* ῥαίνω, *quòd videlicet pluuia humectet ac aſpergat.* keiſſen *à* χαῦνος *vel* ἀπὸ τοῦ χαύνου. *vnde manifeſtum eſt Flandros hîc rectiùs etymon vocabuli exprimere quàm reliquos Belgas, qui cum R in hunc modum* kairſlen *ſcribendum mordicus aſſerunt. Fornacem, aut caminum, Gandenſes* een cane, *Brugenſes* een caſ koen *dicunt à* κάμινον. *Sed neque inſulsè quis* ſchepenen *ἀπὸ τοῦ σκήπτρου, quod ſceptrum Græcis ſonat, Scabinos noſtros vulgo dictos, deriuatos aſſerat. Neque aberrarit qui à* σκάπτω een ſpa *inſtrumentum foſſorium deducat. Atque hactenus quidem de Græcis. nunc ad ea quæ cum Latinis cognationem habet deueniamus. Ab aruo deductum eſt* een erve, *dictio omnibus Belgis paſſim communis. ab arando* eyeren. *à cathena* een ketene. *à murus* eenen muer. *à viis ſtratis,* een ſtrate. *à lancea,* een lance, *Gellius tamen lanceam Hiſpanicum*

non

non Latinum verbum eſſe ſuſpicatur. à ponte, een pon-
*te,nauium quoddã genus eſt,quòd pontis vices in tranſ-
uehendis equis aliisq; impedimentis ſuppleat. ἱππαγωγὰς
Græci vocant.* Venen *Hollandis peculiarem dictionem
doctiſſimus Nannius à fœno deductam ſuſpicatur.Ego,ni
quid obſtet prælectoris aliquando mei auctoritas, à venis
ortam dicam, quòd videlicet ex his Batauorum venis
ceſpites effodiantur,nõ ſecus ac ex aliis terræ venis viſce-
ribusq; metalla eruuntur. Clauam* een kolue *appella-
mus;rapũ* een rape. *à molendino deriuatur* een moe-
len. *Poſſemus & alia multa in medium proferre: ve-
rùm quoniam in infinitum excreſceret numerus,his con-
tenti erimus. Tu interim tuo non deſis officio, Flandri-
casq; illas antiquitates,iamdudum abs te inchoatas, ab-
ſoluere ac tandem in publicum emittere ne graueris ro-
go, atque auitam noſtram linguam à nonnullis calum-
niatoribus aſſerere pergito,facturus te dignum,& noſtris
longè gratiſſimum opus.*

VTRVM IN MORBO GALLICO CON-
ueniat exquiſita tenuisq; victus ratio:
ad Guliermum Pantinum. XLIII.

QVI *hodie conſuetam ſicuti vocant Practicorum
Methodum (ſi modò ita dicere fas eſt) paulo ac-
curatius in examen vocant,videbunt,(ni quid me
fallit opinio) multos paſſim ad præſcriptorum quorun-
dam formulas, atque vſitatam quandam victus ratio-
nem,non habita temporis, conſuetudinis, regionis, aut
ætatis ratione,actiones ſuas dirigere: Id ſiquidem plerun-
que fallaciſſimo experimento deprehenditur; vt auctor
eſt Plinius,quia dignitate indagare vera pigeat,ignoran-
tia pudore mentiri haud piget, haud alio fidei proniore*

K *lapſu,*

lapſu, quàm vbi falſæ rei grauis teſtis exiſtit; & in multos, proh dolor, adeò imperium agit ſæuiſsimus tyrannus conſuetudo, vt ab hac vel latum receſsiſſe vnguem ſumma ſit religio: & quemadmodum Methodici illi ad exquiſitam ſuam diatriton cibandi tempora expendebant: ſic nunc quoque, ſi diis placet, cum agyrtis omnes fere ad vnum medici, atq. adeò hi qui primas ſibi in arte noſtra vendicant, lue Hiſpanica laborantibus non verentur exquiſitam illam, exactamq; diætam ab empeiricis tanquam per manus traditam, non habito reſpectu hypotheſeos, quæ à virium robore ſumitur, præſcribere, atque ipſos patientes, quos alioqui minimo negocio percurarent, exquiſita illa ſua carnificina in maximum vitæ diſcrimen conijcere. Ita ſæuiſsimæ conſuetudinis tyrannidi ſubiecti, mancipatiq; ſunt homines planè ſubiugi, vt malint cum ſummo Reip. periculo empeiriam illam ſequi, quàm victus rationem variare, pro temporis, ætatis, morbi, regionis, conſuetudinisq; ratione. Docet ſiquidem nos ars noſtra alia longè cibatione acuto morbo laborantibus, alio chronio opus eſſe, atque aliam deſiderare ſenes, aliam iuuenes. Senes enim optimè ieiunium ferunt, & qui creſcunt, plurimũ habent calidi innati, pluri igitur egent alimento, alioqui corpus abſumeretur: Ac rurſus aliam inſtituendam eſſe cibationem æſtate, aliam hyeme; nam & ventres ipſi hyeme, & vere natura calidiſsimi ſunt, ſomniq; longiſsimi: quare per ea tempora copioſius nutriendum docet Hippocrates. Et æſtate, & autumno difficillimè cibos ferunt, hyeme facillimè, ſecundum locum ver habet. Et quòd conſuetudini aliquid dandum ſit, docet idem in aphoriſmis; quibus enim ſemel, aut bis, offerendum eſt, inquit, & plura uel pauciora, particulatim animaduertendum, dandum verò aliquid conſuetu-

dini,

dini, tempori, ætati, & regioni: adeò multa in cibatione obſeruanda monuerunt veteres illi medici, vt non leuiſſima artis noſtræ pars, ſcientia ordinandi cibos eſſe videatur; quam tamen nonnulli ita in ordinem redigunt, vt eam horæ vnius ſpacio quiuis etiam diſcere poſſit, quando omnibus penè ex æquo eandem victus rationem non citra maximum vitæ periculũ, in morbo Gallico, vt iam dixi, præſcribere non verentur, quum deberent cognito priùs virium robore, morbi ratione, atque ipſa adeò conſuetudine eandem inſtituere, atque prò maioris memoriſq; ratione variare. Siquidem, vt libro De ratione victus in morbis acutis ait Hippocrat. Oportet autem & ex ſanorum hominum victu diſciplinam facere, quæ conferat; nam ſi ſanis quibuſdam tales, vel tales cibi variarè videantur, tum in aliis quibuſdam, tum in nonnullis mutationibus, quomodo & in morbis quibuſdam, & maximè acutis non euariabunt? nam & quæ conſueta ſunt, etſi deteriora, melioribus inſuetis meliora cenſentur. Adde quòd ſunt aliquot naturæ quibus aut nihil, aut non magnopere incommodet trium aut quatuor dierum inedia, ſicut è diuerſo aliæ, quibus non ſolùm innoxia, ſed etiam vtilis eſt tot dierum inedia; nam corpus bene difflabile, ad cibationem ſtimulat; & quod ægrè difflatur, ad contraria agit, quodq; tenues habet ſuccos ad cibandum inducit; quod his non conſtat, contrarium demonſtrat. Auctor eſt enim Galenus libro Methodi therapeutices, multos in atrophiam incidiſſe; quibus quum difflabile eſſet corpus, methodici illi admirandam ſuam diatriton præſcripſiſſent. Neque id mirum: nam ſi conſtans & rata prorſus ſit ſententia, viuentia omnia propter inclusum in ſe calorem viuere, illius beneficio alimentum trahere, conficereq;, atque eo nutriri, augeſcere, & ſuſtineri,

(Ariſtoteles ſiquidem vitam vno calore contineri auctor eſt, quantuluſcunque enim hic tandẽ fuerit, vita fruitur animans) neceſſum eſt, eos qui plurimum huius innati caloris habeant, eſſe viuidiores. Caterùm quoniam calor hic perpetuò agit, & mouetur, opus illi erat alimento aliquo, quo ſuſtineretur; nam alioqui breuis erat futura animantium vita, niſi ſubſtantia aliqua qua aleretur calor hic, à natura attributa eſſet. Igitur natura, vt ſæpiùs iam dictum eſt, ſolers admodum, & induſtria, conceſſit ei pinguem quendam humorem, & aërium, qui in partium ſimilarium ſubſtantiam conſertus, omnem effugit oculorum aciem, hunc humidum radicale nonnulli appellant, hoc ſuſtentatur calor, hoc fouetur, hoc nutritur; & ſi quidem calor hic aliquanto vehementior, atque efficacior fuerit, & humor hic tenuior, videbis humidum id quam ocyſſimè conſumi, atque diffluere, ni congrua victus ratione humori illi noua ſuppeditetur materia, ac pro ratione abſumptæ materiæ ſubſtituatur alia; propterea Galenus libro octauo Methodi therapeuticæ πυρο-χόλοις nocentiſſimam eſſe dicit inediam, & ex longiore abſtinentia, acerrimas acutiſſimasq́; accidere febres, à quibus promptus ſit in hecticas tranſitus, atq. ab his rurſum in torridum maraſmum. Sin minor & languidior ſit calor, atque humidum ipſum aliquanto tenacius, calor vt imbecillior; neque ita multum efficax, humidum illud ſuum non tam facilè abſumet; quo fit, vt hic non vſque adeò multo alimento opus ſit; nam & ſenes, vt quibus calor languet, optimè, & citra moleſtiam ieiunium ferent. Vnde manifeſtum, ac luce clarius eſt, pro caloris ipſius ratione, inſtituendam eſſe victus rationem, vt interim morbos taceam. Nam victus tenuis, atq. exquiſitus (vt ait in Aphoriſmis Hippocrates) in longis quidem

dem morbis ſemper, in acutis verò, & quibus non conuenit, periculoſus; quòd in longis morbis fouendæ ſint vires, vt natura longitudini morbi ferendo ſit. Quod ſi ita eſt; Gallica lue laborantibus nequaquam tenuis victus exhibendus erit, quum ad quadrageſimum vſque diem magna ex parte protrahi ſoleat; verùm talis qui paulo plenior ſit, niſi calor innatus languidior ſit, atque humidum radicale pinguius, tenaciusq́; tunc ſiquidem tenuis, (non tamen exquiſitè) victus aliquo modo ſuffecerit, ad conſeruandum virium robur; ſiquidem, vt auctor eſt Galenus, ſicuti lucernarum flammæ quamuis oleum pro alimento habeant, tamen ſi quis totum id ſuperinfundat, extinguantur potiùs quàm nutriantur: ſimili modo, in ſenibus & aliis quibus calor eſt remiſſior, alimentorum copia nocet calorem ſuffocans, & multitudine obruens. Quod ſi cum remiſſiore calore adiuncta ſit etiam pituitoſorum excrementorum copia, tum demum pauciore adhuc alimento opus habebit corpus. Videmus nanq. eos qui naturâ, vel cõſuetudine ſunt humidiores ac frigidiores, parum admodum appetere; & pauciſſimis exatiari cibis; quia deeſt calor qui multam abſumat ſubſtantiam: Sin qui laborat calida ſiccaq́; ſit temperie, maximum intuleris nocumentum per tenuem victum; atque id efficies, vt breui diſſipetur, atque effluat vniuerſus ille humor quem calorem innatum fouere diximus. Hypotheſis igitur illa quam à virium robore ſumunt Hippocrates & Galenus, pro caloris innati copia magna ex parte æſtimanda erit. Alteranda ergo erit victus ratio in morbo Gallico, prout ab hoc vel illo humore originem traxerit, & pro caloris innati copia. Si etenim à pituita craſſa; (ſolet nanque quatuor humoribus ortus ſui cauſſam aſſcribere, quanquam frequentiùs ex ebullitione & putre-

factione ſanguinis oriatur) ac lenta fiat; atque excrementitium planè ſit corpus, citra magnum periculum, longam illam vſitatamq́; inediam præſcripſeris. Solet ſiquidem pituitoſus hic, atque excrementitius humor, caloris innati acrimoniam obtundere, atque efficere quo minus meliorem ſubſtantiam abſumat, dum ſeipſum ſumendum offert; & in ſumma, arcere ne humidum illud radicale diffletur atque euaporet. Si tamen durauerit exquiſita hac inedia; etſi prorſus cibum auerſari videatur ventriculus, contentus humore illo extrementitio in quem calor agat; videmus membra contabeſcere, & marcore quodam conſumi, & emaciari, & in atrophiam incidere; adeò execranda carnificina eſt vſitata hac inedia; vt etſi iis qui eandem optimè ferre poſſe videantur, adminiſtres, non citra maximam noxam, & vitæ periculum feceris. Quod ſi ad bilem, aut ſanguinis putredinem cauſſam ſuam referat morbus, nihil minus quàm exquiſita hac diæta cõueniet: nam etſi ratione ipſorum humorum breuior futurus ſit morbus eo qui à pituita oriebatur, ac per conſequens tenuiorem victum requirere videatur; contrarium tamen verum eſt: quod periculum eſſet, ne torrido illo atque efferueſcente bilis atque ſanguinis calore humidum radicale quam ocyſſimè diſſiparetur, ac vires proſternerentur. Variare igitur conuenit nutrimenti, tum qualitatem, tum quantitatem, pro morbi, corporis, ac virium ratione; quippe (vt vndecimo therapeut. Method. Galenus) quum vires legitimum ſuum robur habent, & morbi ſummus vigor maturè expectatur; tenuiſſimo victu vti licet, quum ſint infirmiores, non licet ſine grandi noxa, ſed adiicere ad nutrimentum tantum oportet, quantum eſt de virium robore imminutum, atque ex his ſcopis accipiendus eſt nu-

triendi

triendi modus, qualitatis verò, ex morbi affectu, vnà cum ſolidorum corporum, quod tum eſt, temperamento. &c. Deſinant igitur tandem quæſo, vnà cum circumforaneis iſtis impoſtoribus inſanire medici noſtri, atque hi præſertim quibus Principum vita curæ eſt. Id enim ſanctè affirmare auſim, longam illam inediam (ſic enim vocare lubet) à nullo hactenus obſeruatam, citra maximam virium iacturam; nam ſi quos, vt diximus, hac methodo curari contingat, id potiùs aſſcribendũ eſt corpori, quod cacochymum, humoribuſq; plenũ erat, & quod inediam tolerare potuit, quàm arti: quod mecum quiuis etiam pronunciabunt, vbi ſingula ad rationem, quæ ars quædam inter artes cenſetur, excuſſerint.

NVM A SALE, SALITISQVE IN TOtum abſtinendum ſit iis, qui morbo Gallico laborant. XLIIII.

OLIM ſi quis execrationibus, aut diris deuouendus eſſet, interdicebatur ei ſalis vſu, ignis, & aquæ; quòd ſine his tribus vita humana conſtare non poſſet; nec rite placari Diui. Hodie contrà videas verè μισανθρώπους quoſdam, ſi quos ſeruandos ſuſcepere, iis interdicere ſine quibus rectè viuere non poſſimus; quo fit, vt volens nolente, quod aiunt, animo iam iterum verſari cogar in execranda illa à multis annis inſtituta victus ratione lue venerea laborantium. Neque ſatis mirari poſſum tanta caligine doctiſſimorum alioqui virorum mentes hactenus fuiſſe obſeptas; vt tam duram lanienam, vel carnificinam (non poſſum ſiquidem commodius exprimere) huc vſque non animaduerterint. Quis enim, niſi inhumanus, ac prorſus amens, ſalem (quem fatidicus ille Homerus diuiniſſimum, & Plato rebus diuinis amiciſſimum,

ciſsimum, familiariſsimumq́; appellat, ſine quo viuere non poſſumus, quemq́; ob id elementum vocare non erubuerit Plinius) homini interdixerit? quis ei qui putridis, putidisq́; humoribus laborat, cibos inſulſos, & qui facilè in ſtomacho vitiari poſsint, præſcripſerit? Atqui id paſsim neſcio quo fato, in iis qui lue venerea laborant, obſeruatum videmus, quòd ſal, vt inquiunt, operationi ligni aduerſetur, aſtu quodam cauſſam ſubiicentes, ne aliis inſcitiam ſuam patefaciant. Verùm dic amabo quiſquis es, qui lernam hanc malorum nobis inuexiſti, ſi ſalem prohibes, eò quòd, vt dicis, ligni ſancti natura contrarietur, fortè quòd aſtringat ac corpora denſet; cur poſthabito autopyro pane, eum qui ex tritici flore conficitur nõ fermentatum, bis coctum præſcribis? num ignoras illum eſſe tum craſsioris ſucci, tum durioris concoctionis, ac meatus plus infarcientem, quàm ſit aut autopyros, aut modicè fermentatus panis? nam quantumuis iterata illa cõctura lentorem aliquem exuerit, nunquam tamen ad ſyncomiſti bonitatem accedet, vel ipſo Galeno dicente, omnem triticeam maſſam, præſertim ſiligincm, quam tritici delicias vocat Plinius, niſi ſalis momento, aut fermento condiatur, eſſe flatulentã. Num tibi modica ſalis portio quæ condiendis cibis inſeruiret, magis ſuſpecta eſſe debebat, quàm ea qua opus eſt ad virium conſeruationem in quotidianum vſum panis portio? Verùm, ni me coniectura fallit, eam quam tibi deeſſe comperiſti, aliis inuidiſti micam ſalis, quando inſulſus prorſus quum eſſes, non ſatis expenderes rerum momenta; tui enim erat officij diſtinxiſſe quæ medicamenti loco, ab iis quæ pro cibo præſcribis, nec oportuit ſtatim à conſuetudine, quam ſenſim immutandam ſuadet Hippocrates, deſciuiſſe, atque familiari maximè condimento, quod meritò doctiſsimus

ille

ille Eraſmus opſoniorum opſonium vocari poſſe ſcribit, interdixiſſe, ac ſalem & menſam quodammodo prætergreſſum eſſe, dum contrà quàm tua flagitat profeßio, amiciſsimũ prorſus naturæ noſtræ ſymbolum ſalem (quo ſolo veteres illi, vt auctor eſt Varro, vnà cum pane, & caſeo amicitiæ iura obſeruare, & conuiuia celebrare ſolebant, & quo olim pacta ſua, vt habet Paralipomenon liber, firmare conſueuerunt, quæ tandem legis loco rata eſſe voluerunt) tanquam noxium à communi vſu arces. Rectè ergo deinceps facturos exiſtimo eos qui curandos ſuſcipiunt labe Venerea infectos, ſi cibos medico ſale condierint; ita enim fiet vt & aſſumptus cibus naturæ familiarior reddatur, & in probiorem ſuccum tranſmutetur: adde etiam quòd operationem ipſius ligni promouebit, niſi dum decoquitur, multiplici quadam varietate, quod ferè fit, eiuſdem facultatẽ iam antè obtuderint. Sal enim ſua aſtrictione non denſabit longè diſsitas particulas, ſed eas tantùm quas ſubit, quæq; vicina ſunt, qualis ventriculus potiſsimùm eſt, atque inibi cibi quandam appetentiam conciliabit. Quòd ſi cui magis placeat vſitata cibandi conſuetudo, atque in eadem conſeneſcere velit, per me integrum eſt, inſulſis, inſipidiſq; ſuis betis ad ſatietatem vſque veſcatur, ac dignas tandem ſuis labris lactucas nanciſcatur.

DE FREQVENTI CVCVRBITVLArum medicarum applicatione: ad Theodorum Zazium. XLV.

TVM *demum cum artibus bene actum iri ait quidam, quando de iis ſoli iudicarent artifices; nam alioqui ſi quibuſuis quiduis liberũ ſit effutire, breui quotquot ſunt collabentur, atque corruent, aut plurimis; vt*

minimum, nanis aſpergentur: quod in noſtra arte, Zazi doctiſſime, vſu veniſſe multiplici didicimus experimento. Siquidem quum paſſim oberrent agyrtæ, tonſoribus, atq. adeò ipſis obſtetricibus parum interdum pudicis, neque in arte ſua ſatis verſatis fas ſit rem medicam profiteri, & cum ſumma impunitate per hominum mortes periculum facere, videmus paſſim multa à vulgo, atque adeò principibus viris, ita eſſe recepta, vt pro nefando habeatur eadem è medio velle tollere; quorum etſi abuſus aliquot doctiſſimi viri cognitos reddidere, ſuperſunt tamen nonnulla, quæ adeò radices fixerunt, vt adhucdum extirpari nequiuerint. In quo albo cenſetur frequens illa citra neceſſitatem cucurbitularum, quas ventoſas vocant, applicatio: nam & te paucis abhinc menſibus, dum in arce Vuoiurdenſi Illuſtriſſimo Principi noſtro Duci Erico adeſſemus, eiſdem non præcedente corporis vacuatione vti ſolitum narraſti. Quod vbi audiuiſſem, ſtatim à ſanitate tua quàm longiſſimè abeſſe iudicaui; nam quamuis Cornelius Celſus libro ſecundo, cucurbitularũ vſum liberum à periculo κ) *ἀπνέα pronunciare videatur; & Herodotus libro De præſidiis vacuantibus, multis citra delectum affectibus prodeſſe dicat: videmus tamen multos ob intempeſtiuè adhibitas ſycias in varia incidiſſe ſymptomata: quod Galenus, Aëtius, Oribaſius, & inter Arabes Auicennas ſatis declarant; ſiquidem Aëtius tantùm non periculo vacantes eſſe dicit cucurbitulas, verùm etiam plurima ſecum interdum aduehere incommoda; quòd pro ratione attractæ materiæ non euacuent. cuius verba quoniam lucis plurimum hæc allatura ſunt, non grauabor aſſcribere.*

» *Illud porrò noſſe expedit, inquit, quòd non ſolùm localis*
» *venæ ſectio detrimento eſt, antequam vniuerſum corpus*
» *euacuetur, per affectas partes ſanguinem detrahens, ſed*

etiam

etiam cucurbita,& venæ quidem ſectio minus periculo- „
ſa eſt;pro ratione enim allatæ materiæ, etiam ſanguinis „
excretionem facit: Cucurbitula verò; tum impetu af- „
fixionis,violenter materiam attrahens, tum multum lo- „
cum occupans,& tamen neque vaſis ſenſibilem fiſſuram „
faciens, attrahit quidem memorabilem materiam, non „
euacuat autem pro ratione attractæ, & præcordiis qui- „
dem intempeſtiuè affixa, præſertim in continentibus fe- „
bribus,& ſemitertianis, & maximè ſi mens ægri fuerit „
turbata,& ſenſus ægri fuerit obtuſus, ſtrangulatum & „
mortem eadem die inducit. Capiti verò intempeſtiuè ad- „
mota lethargos,& corporis & mentis ſtuporem,& ocu- „
los procidnos facit: quibus autem contigerit vt hæc effu- „
giant, hi in diuturnum aliquem capitis affectũ incidunt. Vides igitur,mi Zazi, quot quantisq́ periculis ſubſit cucurbitularum intempeſtiuus vſus; nec eſt quòd quiſpiam nobis hîc obtrudat,aut ab omnibus receptam conſuetudinem,aut Aëtij auctoritatem eleuans, potiori loco habendum ducat cum Herodoto Celſum in hunc modum ſcribentem. Opus etiam cucurbita eſſe poteſt in morbis lon- „
gis,quamuis etiam ſpatiũ aliquod acceſſit, ſiue corrupta „
materia,ſiue ſpiritu malè habent: in acutis autem qui- „
buſdam,ſi & leuari corpus debet,& ex vena ſanguinem „
mitti vires non patiuntur, idq́ auxilium vt minus vehe- „
mens,ita magis tutum, neque vnquam periculoſum eſt, „
etſi in medio febris impetu,etiamſi in cruditate adhibea- „
tur.&c. Hoc nanque inuertere eſſet totam medicinam; nam & Celſus ipſe alio loco ſuſpectas habet omnes quales quales tandem ſint purgationes, vbi in primis venis ſigna aliqua cruditatis ſuperſunt:& Antyllus antequam cucurbitæ applicentur, inquit, ventrem emollitum eſſe oportet, aut nullam omnino infeſtantium excrementorum

rum ſuſpicionem ſubeſſe. Praterea Auicennas atque Albucaz rectiſsimè adminiſtrari dicunt ventoſas cum ſcarificatione hora à ſolis ortu ſecunda, aut tertia, ne videlicet cibus ſemicoctus adhucdum in venis contineatur; nam quamuis etiam à longinquis attrahat, pro ratione tamen attracta materia non euacuat; ſubiectam enim tantùm, vicinamq́ue, atque in venis extremis contentam materiam euacuat; & contingit nonnunquam, vt ait Hippocrates libro De medico, à ſupernis, aut longinquis detractam locis apponi collecto infernè ſub cucurbita ſeroſo humore, & qua quidē infeſtant, relinqui; qua verò nihil moleſtant, detrahi. Nam, vt 13. methodi therapeut. Galenus, non ſolùm autem iam dictam remediorum differentiam ex laborante loco didicimus, ſed etiam illud, quod qua in ſummo corporis phlegmone laborāt, ea propriis phlegmones remediis curentur, qua in alto ſunt corpore, ſi cum his aliquid acrium medicamentorum ſit admixtum: reſoluuntur enim eorum vires dum altè deſcendunt. Hac ratione & cucurbitula nobile planè remedium eſt inuenta, tum vt foras euocentur qua ſunt in alto, tum vt eximantur, atque eruantur qua iam in ſcirrhum abeunt: Verùm vtendū cucurbita in ipſa parte qua phlegmone vrgetur, inter initia non eſt, imò poſteaquam totum corpus euacuaris, ac neceſſarium eſt qua in agra parte continentur, aliquid educas, atque eruas, aut etiam foras verſus trahas &c. Conſultum igitur eſſet hirciſſantibus iſtis vetulis ſilentium imponere, atque interdicere tandem, ne quicquam deinceps vltra fuſum ſapiant, vt ſuo ſe pede metientes concedant doctioribus tempora figendi cucurbitulas, & pro affectionum varietate, cucurbitularum modos, & figuras praſcribendi; ita fiet vt ſani à multis aſſerantur incommodis, qua vltro

alioqui

alioqui inſcientes ſibimet aſſciſcunt, atque ægrotantes à ſæuiſſimis liberentur malis. Quod breui futurum ſperarem ſi omnes Monarchæ ac Principes ſingula ad rationem expenderent, neque tam faciles aures logiatris ſuis præberent.

DE HENRICI FRANCORVM REGIS *Luna in cornua ſurgente.* XLVI.

HERI, *mi Ioannes, etſi de diis pauca dicere moneat antiquitas; tamen, vt noſti, inter epulas de Henrici Chriſtianiſſimi Francorum Regis in cornua ſurgente luna facta eſt mentio, atque inter conuiuas quidam non prorſus amuſus, & (quod maximè mirabar) exactiſſimi alioqui iudicij lunam illam ἀμύντορον in Turcæ Chriſtianæ Reip. hoſtis gratiam, ab eodem paſſim numiſmatibus inſculptam fuiſſe contendebat. Quod ego audiens, ne prorſus aſymbolus eſſem, non ferens hominis cordatiſſimi alioqui iudicium, quantum ego coniiciebam præpoſterum, ſtatim intuli, longè alia ratione id factum mihi videri, atque eundem priſcos illos Ægyptios vates imitatum, animi ſui vigorem hieroglyphica hac tanquam litera ſignificatum voluiſſe. quod magnanimo rege dignum quis cui vel mica rationis ſuperſit, non iudicabit? nam & inſcriptio* Donec totum compleat orbem, *rem dilucidiorem reddit, atque quid per hieroglyphicum illum characterem velit denotat, ac ſi dicat, non deſiturum ſe antequam toto potiatur orbe. Quid quòd & in hac re ſtudiorum columen patrem ſuum Franciſcum imitatus ſit, qui ignita ſua ſalamandra aliquid ſupra vulgi captum viro forti dignum ſubintellectum volebat? quod qui ſalamandræ naturam perſpectam habuerit, interpretabitur eiuſdem inſediſſe animo, quorumuis motus*

impetusq;

impetuſq́ bellicos ſtatim in ipſo furore cohibiturum, non ſecus ac ſalamandra vel intactũ extinguit ignem. Quid demum de Caroli Quinti Romanorum Imperatoris auguſtiſſimi inuictiſſimiq́, noſtri quondam ſereniſſimi Principis, Herculeis columnis ſentiemus aliud, quã quòd per eaſdem denotatum voluerit, ſe propagationi Imperij ac regnorum ſuorum vſque inſudaturum, neque deſiturum, antequam occidenti orientis imperium adiungat? Neque hoc nouum eſt: nam & Veſpaſianus ille Romanorum Imperator, moderationem in rebus gerendis anchora ſua cum delphino denotabat, & veteres illi annum, vel æuum per ſerpentem qui caput ore teneret, exprimebant; vnde & Græcis annus ἐνιαυτὸς, quòd in ſe ipſum reuoluatur, dicitur. Et nos quoque antiquitatis æmuli, ſymbolum noſtrum, Citò, tutò, & iocundè, *ab Aſclepiade deſumptum, per Arionem delphino inſidentem, ac fidibus canentem deſignare ſolemus, quum fidium ſono nihil ſit iocundius, delphino in animantium genere nihil ſit aut celerius, aut φιλανθρωπότερον. Ignobile igitur & infra docti viri conditionem cenſemus, etiamſi quam maximè cum barbaro hoſte aliquando Franciſcus Rex fœdus percuſſerit, ſuſpicari filium Henricum in gratiam Turcæ pro ſymbolo recepiſſe in cornua ſurgentẽ lunam.*

AD DOCTOREM BALTHASARVM A Blyenburgh: *de ſemine caſiæ Ægyptiæ, de venæ ſectione quæ ante febriũ paroxyſmum, & quæ pomeridiano tempore obitur, & de mirifico fiſtuloſo ſiphone.* XLVII.

GALENVS *ille noſter, Doctor excellentiſſime, initio Methodi therapeutices, queritur quòd pauci*

admodum

admodum ſuo ſeculo veritatis inquiſitioni eſſent dediti, ſed pecuniam, ciuilem potentiam, & inexplebiles voluptatum delicias omnes eouſque ſuſpicerent, vt ſi quis ſapientiæ quoduis ſtudium ſectetur, pro inſano hunc habeant; ac ſtatim in Theſſalum illum, Empiricos, atque Methodicos inuehitur, & id quidem optimo iure; quando ſi quis artis longitudinem cum huiuſce vitæ breuitate conferat, temerarium prorſus, ne dicam amentem, Theſſalum comperiet; qui ſemeſtri totam artem medicam ſeſe tradere poſſe confirmabat. Et ſi quis varietatem naturarum, corporum, temporum, morborum, ſymptomatum, & cauſſarum animaduertat, parum admodum cum ſuis ſyndromis, & congeſta illa ſignorum ſerie efficiet Empiricus, niſi ad rationem idem omnia expendere prius didicerit, & Methodico parū profuerint communitates illæ, atque exquiſita eorundem diatritos, niſi ad virium robur, magnitudinemq́; morbi, ac tempus expendatur. Si tamen cum huiuſce ſeculi circumforaneis impoſtoribus conferantur, qui, vt Plinij verbis vtar, diſcunt noſtris periculis, & experimenta per mortes agunt, & quibus contra ius gentium hominem occidiſſe ſumma eſt impunitas; iniurius certè, aut ſaltem nimis vehemens videri poſſit Galenus, qui in viros philoſophos, rerum principiis ac cauſis intentos paulo liberiùs debacchetur, præſertim quando, ſicuti vult Celſus, ars medica coniecturalis omnino ſit, ac variis diſtracta opinionibus, ita vt Plinius neſcio quàm rectè alibi eandem artium omnium inconſtantiſſimam non vereatur dicere. Hi enim contrà quàm noſtri agyrtæ ſingula ad philoſophicas rationes expendebant; Empirici etenim etiamſi ab experientia denominationem ſortiti fuerunt, habebant tamē certos ſuos ſcopos ad quos actiones ſuas dirigerent, concurren-

tium

tium ſymptomatum dico obſeruationem, quam ſyndromen appellabant, auxiliorum hiſtoriam, & ſimilium tranſitum, atque hac quidem niſi in plurimis reſpondiſſent, atque eodem modo habuiſſent, nequaquam obſeruanda aſtimabant. Noſtri cõtrà dicti Empirici, calceum eundem omni induentes pedi, vnicum remedium omnibus exhibent morbis, & ſimul atque morbum aliquem nominare didicerunt, quiduis pollicentur, vulgo interim neſcio qua obſoleta obmurmurantes; & ne dictis deſit fides, Hippocratẽ, Dioſcoridem, aut Auicennam, aut alium quemuis citant, quum interrogati, nihil prater eorundem nomen proferre ſciant, iuſsiq́; reſpondere, magis muti ſint quàm aut piſcis, aut rana Seriphia. Verùm illis id condonandum eſt, vt qui ex profeſſo aliud nihil ſtudent, quã vt aſtantibus verba dent, loculosq́; emulgeant. Sed illis qui bullato doctoratus titulo ſibi abblandientes ad certa aliqua praſcripta actiones ſuas inſtituunt, non poſſum non Ariſtophanis illud occinere, ἀκασίας τὸν φρωκτὸν ἰάσατο, atque quam longiſsimè à medicorum ſcholis ablegare, etiamſi ſua quammaximè pradicent, & cum quibuſuis etiam de primatu certent, ac modò ſuam, ac praceptorum ſuorum experientiam iactitent, interim ſi qua à ſuis illis maioribus per manus acceperint, ita tueantur, vt religio illis ſit de illis tantũmodo addubitaſſe, non ſecùs ac Pythagorici illi, quibus ſi quid dixiſſet Pythagoras, ſuffecerat quòd ipſe dixiſſet. Quorum conditionem quandoquidẽ plurimũ ſemper execratus es Doctor eximie, & quoniam ad rationem omnia expendere ſoles, atque rectiora monentes beneuolo vultu, exporrectaq́; fronte excipere, aut ſi quid his rectius haberes, candidus impartiri; et ſi cani illi tui, & multiiuga experientia quam longo vſu adeptus es, me ſapius ab inſti-

tuto

*tuto retraxerint, non potui tamen non ſemel per literas tecum agere de quibuſdam, quæ in praxi tua mihi rationi non ſatis conſona, aut ſaltem ſuſpecta eſſe videntur, idq́; eò lubentiùs feci, quòd ſperarem te aliquando, quà es doctrina & humanitate, nos edocturum, atque euidentibus rationibus demonſtraturum (vt interim priſcorum taceam auctoritatē) quo cōſilio, aut ratione hactenus ita faciendum iudicaris. Ac primum quidem quòd in cōtrouerſiam voco, eſt quòd ſemini caſiæ ægyptiæ vim purgatricem attribuas. Nam quantumuis tu Ioannem Mainardum virum maximi iudicij, & ſupra hominum opinionem doctum ſequutus, ſemini quam pulpæ caſiæ nigræ intenſiorem vim purgandi aluum ineſſe credas, idq́; te longo vſu comperiſſe conſtanter affirmes, mihi tamen id nondum perſuadere potuiſti; præſertim quando Antonius Muſa Mainardi auctoritate motus, idē experiri conatus, multiplici experimento contrarium prorſus ſeſe comperiſſe teſtetur, & ratio ipſa diuerſum prorſus dictet. Si etenim deiectoria medicamenta, ſicuti vult Ioannes Meſueus (quem hic præ aliis nominandum cenſeo, quòd is inter Arabes potiſſimùm, & inter Græcos ſolus Actuarius caſiæ ægyptiæ mentionem faciat) quatuor vniuerſim differentias admittant, hoc eſt quòd aut trahendo, aut comprimendo, aut leniendo, aut lubricando aluum moueant, nihil omnino commune cum aliquo iſtorum ſemen caſiæ habere deprehendes; medullam certè omnes leniendo, & nonnihil lubricando aluum mollire concedunt: quamuis enim Meſues theoremate primo libri primi caſiam leniendo purgare doceat, ſecundo tamen quodammodo innuere videtur eandē lubricando aluum ducere. Dicit autem ſic: Caſia fiſtula calido frigido tem- »
perata, niſi quòd paulo pòſt calidior, humida primo gra- »*

L du,

„ *du, clemẽter, & innoxiè à ventriculo bilem & pituitam*
„ *purgat leniendo, febribus inde ortis confert, ſanguinem*
„ *hac ratione puriorem reddit, ac eius ſanguinis, ac bilis*
„ *flauæ acrimoniam frangit, reſoluit thoracis, ac pulmonis,*
„ *& aſperæ arteriæ phlegmonas, easq; partes lenit, ipſa*
„ *morſus expers. Et paulo pòſt: Deligenda eſt, inquit, fi-*
„ *ſtula plena, inſigni, ob id graui, ſplendente foris, ac etiam*
„ *in pulpa pingui, quæ recens ſumenda potiùs eſt quàm*
„ *vaſis aſſeruata: Si autem viſcera ſint ſicciora, caſiæ lu-*
„ *bricitas augenda eſt oleo amygdalarum dulcium. Huic*
etiam ſubſcribit Princeps Auicenna: Melior eſt ea quæ
ſumitur recens ex fiſtula, pellucens recens, & pinguis.
Quæ omnia non ad ſemen ipſum, ſed ad medullam, ſeu
pulpam, aut florem, atramentúmue caſiæ, aut, vtut vo-
care libuerit, referenda eſſe cuiuis etiam certum eſt: nam
ni recens & humecta ſit medulla, ventrem contrahit po-
tiùs quàm laxat, humido leniente euaporato, terreaq;
tantum ſubſtantia remanente. Neque ab iiſdem diſcre-
pat Actuarius auctor inter veteres nouiſſimus, inter
neotericos primus, (vt interim Serapionem, & reliquos
Arabicæ ſcholæ coryphæos omittam) qui capite tertio li-
„ *bri quinti Methodi medendi ſic habet: Si ventrem mol-*
„ *lire fuerit animus, pruna & præcipuè damaſcena, adiici-*
„ *mus, aut quippiam fere nigræ nominatæ caſiæ. Eſt autem*
„ *fructus eius fiſtuloſus, & oblongus, nigrum intus concre-*
„ *tum humorem geſtans, qui haudquaquam vna conti-*
„ *nuitate coaluit, ſed ex interuallo tenuibus, lignoſiſque*
„ *membranulis dirimitur, habens ad ſpeciei propagatio-*
„ *nem grana quædam ſeminalia, ſiliquæ illi quæ nobis in-*
„ *notuit ſimilia. Hoc medicamentum ſi vel ſolum exhi-*
„ *beatur, bilem retorridam citra moleſtiam expurgare po-*
„ *teſt: quare iis qui ob imperfectam ætatem, aut aliam*
quam-

*quamuis occaſionem medicamenta purgantia non ſe- »
runt; hoc intrepidè damus, & ſatis placidè purgamus. »
Vides quàm graphicως poſt Mauritanos Actuarius Caſiam noſtram depinxerit, nec in alium vſum ſemina ei attributa dicat, quàm ad ſpeciei propagationem, atque conſeruationem; quod non ſemel ei ſufficit dixiſſe, ſed & aliis diuerſis inculcat locis: Siquidem initio libri De medicamentorum compoſitione, eandẽ prorſus ſententiam, vt verba quæ planè conueniunt omittam, repetit; & ſub finem eiuſdem libri, vbi purgantium medicamentorum facultates expendit, caſiam tribus aut quatuor drachmis ſumptam vix mouere aluum docet, nullã ſeminis faciens mentionem. At dies prior, inquies, poſterioris eſt diſcipulus, neque vnquam quiſquam ita bene ſubducta ratione fuit, quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui, aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas neſcias: nam neque caſiam, neque tamarindos, neque rhabarbarum, myrobalanorumq; genera nouit antiquitas, contenta peplio, ſcammonio, helleboro, filicula, & ſimilibus; præterea nouum, & incognitum eſſe caſiam dum viridis eſt, nec adhuc prorſus adoleuit, apud Memphim vbi naſcitur, modò integram, modò in minuta fruſta conciſam ſacchаro condiri, cuius vncia ad ſummum, aluum clementer expurget, & regibus maximo in precio habeatur. Præterea omnes quotquot ſunt ad hac vſque tempora qui de ſtibio ſcripſerunt, eidem facultatem aſtringentem attribuere, ſolum Aureolum Paracelſum illud præparandi modum inueniſſe, atque demonſtraſſe, quo purgatoriam adipiſcatur vim; quod & nos multiplici experientia experti non inficiamur. Fateor equidem hac omnia ita ſe habere, atque hac parte Mauritanis plurimum debere medicos, qui nobiliſsimis, atque clementiſsimis medica-*

 mentis

mentis artem noſtram locupletarint: Sed iidem omnia hæc ad aliquam quatuor differentiarum reducere ſolebant; caſiam enim, vt diximus, leniendo potiſſimùm, myrobalanos comprimendo; rhabarbarum partim comprimendo, partim purgare dicunt trahendo: quarum nullam in ſemine caſiæ manifeſtè demonſtrare poſſis; nam neque lubricum eſt, vt in muccaginem reſolui poſſit, etiamſi vel totum annum aqua tepida maceres, neque leniens, neque adeò vehemens eſt, vt à longinquis humorem attrahere queat; neque tale eſt, vt mihi videtur, vt per aſtrictionem exprimere valeat: quantumuis enim amarorem quendam guſtantibus exhibeat, tale tamen non eſt, mea quidem ſententia, vt aluum per ſe ducere poſſit; nam etiamſi tu occultam quandam proprietatem, quæ ei inſit, aliis tamen hactenus incognitam (quemadmodum de ſtibio, quod antimonium vocant Arabes, iam antè retulimus) atq. multiiugam tuam experientiam, mihi vt iuniori meritò obtrudere poſſis: Ego liberè reſpondebo, catharticam illam vim non attribuendam eſſe ſemini caſiæ fiſtulæ, ſed aut folliculis ſene, aut ſemini altheæ, aut ſimilibus: Conſueuiſti enim his, quoties vſus poſcebat, condire ſemen caſiæ in pollinem redactum, atq. ita ægrotantibus exhibere. Sed neque calcinatione, aut ſublimatione, vt loquuntur Chimiſtæ, præparatur ſemen caſiæ, qua conſumpta terreſtri, ac craſſiore ipſius parte, tenuior tantùm remaneat, quemadmodum in ſtibio fieri neceſſe eſt antequam purgatricem nanciſcatur facultatem, ſed crudum vt eſt contunditur, atque ita per ſe, aut aliis commixtum exhibere ſoles. Iam quod de ſacharo condita caſia diximus, parum ad inſtitutum facit: conſtat enim res ipſas, atque homines ætate interdum aliam induere naturã; nam & iuglandes ſi teneræ adhuc ſint,

neque

neque prorſus adoleuerint, aluo ducendæ non omnino cenſentur inutiles; & ſi ad perfectam maturitatem deuenerint, non modò non vtiles aluo ſunt, ſed eandem duram planè reddunt. Non mirum igitur, ſi tenellus adhuc, & mollis caſiæ cortex conditus clementer aluum expurget, quãdo veriſimile ſit corticem ipſum antequam iam planè induruit, facultatis alicuius participem eſſe, atque ad aluum turbandam non inutilem, potiſsimùm ſi ſacharo condiatur, quemadmodum de iuglandibus adhuc ſemimaturis ipſa muliercularũ quotidiana nos docet experientia. Atque hæc de caſia; tu tamen ſicuti es naturæ arcanorum ſedulus indagator, ſi rationibus aliud docere poteris, lubens vt ſeniori, & ſaniora monenti cedam.

Alterum quod mihi ſuſpectum eſt, eſt quòd exiſtimes venam poplitis aut malleoli, hora pomeridiana potiùs quàm matutina tundendam, idq; ſicuti coniicio, quòd ſanguis qui ex eiſdem venis vacuatur, melancholicus magna ex parte ſit, ac proinde ſicuti nonnulli ſuadent, non ante veſpertinam horam paulo ante cibum mittendum; quòd videlicet, eo tempore melancholicus humor moueri ſoleat, quemadmodum matutino ſanguis: quod quidem vt non prorſus amethodum videtur, ita ſi ad Hippocratis, Galeni, Celſi, & Galeno poſteriorum Græcorum theoremata conferatur, abſurdum prorſus cenſendum eſt, qui ſanguinem tum demum mittendum dicunt, quoties ventriculus, primæq; venæ nulla humorum corruptela, aut cruditate, aut cibo ſemicocto, conferta ſunt: idq; ne crudi adhuc, & necdum concocti cibi rapiantur in venas ac totum corporis habitum; quod obſeruandum in omnibus ferè morbis monent, iis demptis qui ſubitò, & præter opinionem inciderint. Siquidem, quemadmodum auctor eſt Cornelius Celſus, quum ſit autem

crudo minimè mittendus ſanguis, tamen ne id quidem perpetuum eſt; neque enim concoctionem res ſemper expectat; ergo ſi ex ſuperiori parte aliquis decidit, ſi contuſus eſt, ſi ex aliquo ſubito caſu vomit, quamuis paulo ante cibum ſumpſit, tamen protinus ei demenda materia eſt. Ab hoc non diſcrepat, quod Galenus nono methodi therapeutice docet, Si præcedat ciborũ cruditas, inquit, tanto tempore differre ſectionem iubebis, quantum ſatiſfacere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa diſcedant, videbitur: Sin ſequetur neceſſariò euacuatio quædam, tantum illi de ſuperante parcendum, quantum eſt per eam euacuandũ. Adde, quòd idem nono methodi, inueni ſynocho laboranti propter concoctionis tarditatem præcedentem venæ ſectionem remiſit, ac diſtulit aliis ſedulò eam ſuadentibus. Præterea Oribaſius, Quibus euacuatione opus eſt, dicit, in iis maturanda eſt euacuatio, niſi quædam corruptio cibi in ventre concoquendi facta ſit, aut tarda concoctio, aut etiam cibi in eo contineantur. Ad hæc Aëtius etiam in continentibus febribus, præcedente ciborum cruditate, eouſque venæ ſectionem differendam dicit, donec ſatis eſſe videatur ad concoctionem ipſorum in ventre perficiendam. Quin & illud animaduertendũ eſt, quod Hippocrates ſi aluus durior ſit, etiam in acutis morbis ante ſanguinis miſſionem, eandam enemate diluit. adeò nociuum putarunt, inteſtinis ab excrementis diſtentis, & ſtomacho venisq́; cibi cruditate grauatis tundere venam, vt longè ſatius duxerint, aut lenire aluum, aut ſi ferret occaſio, cibi concoctionem expectare, atque ob id matutinũ tempus ſanguinis miſſioni omnes ferè accommodiſſimum definiuerunt. Non negauerim tamen citra noxam ſub veſperum ſecari poſſe malleoli aut poplitis venam: verùm quandoquidem apud voraces

noſtros Batauos, difficile ſit hypotheſin illam, quæ à ciborum concoctione ſumitur, obſeruare, rarò aut nunquam citra diſcrimē à meridie, aut ſub veſperum obitur, quando metus eſt, ne maximis, atque iis grauiſsimis periculis ſubiiciat corpus, morbis, inquam, qui cruditatis atq. obſtructionis ſoboles ſunt. Caterùm huic, velut annuli in aurea illa cathena Platonis connexum eſt, quod ſanguinis miſsionem in febribus periodicis, quartanis præſertim paulo ante febrium inſultum procures, quod an aliquo modo admitti poſſit, non video: Siquidem Galenus libro De curandi ratione per ſanguinis miſsionem, notum tritumq́; eſſe dicit, quòd in ipſo die in quo ſanguinem mittere volumus, obſeruandum ſit, vt in febris inclinatione fiat; nam & Hippocrates aphoriſmorum ſegmento primo, in acceſsionibus abſtinendum dicit, quòd cibus aſſumptus concoctionem morbi præpediret, & quòd ſanguinis miſsio, purgatio, & id genus alia hoc tempore motum naturæ reprimerent. Præterea idem ſenex libro De ratione victus in morbis acutis, Quum, inquit, à vacuatione ſorbitiones exhibere volueris, obſerua febrium acceſsiones, vt neque quum adſunt, neque quum venturæ ſunt; eas ingeras; ſed quum iam finitæ ſunt, aut conquieuerint, & quum maximè ab initio diſtare videntur. quod & Galenus loco iam citato voluit, quum obſeruandam dicit febris inclinationem; tantum abeſt vt paulo ante febrilem acceſsionem ſanguinem mittendum cenſeamus: quum veriſimile ſit, ſanguinis miſsionem exagitationem quandam ſubſequuturā, vnde & paroxyſmi principium (per ſe ipſum alioqui declinatione grauius) moleſtū ac laborioſum magis efficitur, & ex ſimplici quartana (quantum ego conücere poſſum) duplex interdum procreatur; vt interim ſubitos horrores, & rigores, aliaque omittam

 ſym-

ſymptomata. Illud magis excuſatione videtur dignum, quod modò in ipſa acceſſione, modò paulo ante eandem vomitoria propines, naturæ motum (quæ in acceſſionibus huiuſmodi purgationes non rarò per ſe molitur) promouens, ac materiam tenaciùs adhærentem expurgans. Reprehenſione tamen, quantum ego coniicio, non prorſus caret, vt quod empiricum quid potiùs redoleat, quàm methodicam demonſtrationem, qua docemur, ſicuti iam diximus, in acceſſionum declinationibus tantum, niſi turgeat, ducere materiam, aut ſi quid aliud obeundum ſit, perficere. Sed de his ſatis: nunc ad fiſtuloſum illum tuum, mirificum & incuruum Siphonem veniamus, ad quem in omnibus catarrheumatibus tanquam ad ſacram quandam anchoram confugis, aſſeriſq́; velut incantamentum quoddam non ſolùm à capite defluentes humores excipere, ſed & in profundo corporis impactos elicere. quod an ſit verũ, ignoro; & etiamſi demus ita eſſe, non poteris tamen negare, quin plus interdum noxæ ſecum afferat, quàm emolumenti. Lubens etenim, ſicuti ſuſpicor, mihi concedes, continuo Siphonis tui vſu ſubuerti ſtomachum, & nauſcam, cibiq́; faſtidium oriri, & quantumuis crudum expurget humorem, eidem generando nouam ſuppeditare materiam, ventriculo neque ferente cibos, neque eoſdem conficiente: Siquidem etſi Paulus ex Ægina medicus libro primo, tuſſientibus, & grauedine affectis puellis melitiſmos, & linguæ compreſſionem commendet, atque idem lib. 2. eos quos anorexia ex vitioſis ſuccis comprehenderit, cibis & poculentis ſolicitandos dicat, qui huiuſmodi ſuccos, aut per ſuperiora, aut per inferiora expurgent, non tamen hinc conſequitur, per ſiphonem tuum commodè id obiri poſſe, quando interdum contumacior ſit humor,

quàm



quàm vt ſubſequi velit: & ſi idē contumax ſit, ac expulſioni rebellis, contingit ſtomachi facultates, atq. eam potiſſimùm quæ retentrix dicitur, imbecilliorē reddi, & omnes confertim humores à capite ad fauces decumbere, quos alioqui lōgè maiore cōpendio, atque commodius, citraq; vllum diſcrimen per nares potiſſimùm cerebri colatoriū deriuaueris: Nā & ego multos vidi continuis deſtillationibus, & ſcreatibus obnoxios, cruditatéque ſtomachi grauatos, qui ante ſiphonis tui vſum ſtomachū, vt ſic dicam, nunquam ſenſiſſe

ſe, vel huiuſmodi fluxu impetitos aſſererent: Siquidem quũ probè antè cibos conficerẽt, atq. eoſdem retinerent, iam non ſolùm non eoſdẽ concoquere, ſed vixdum continere poſſe quin euomerent, aſſerebant, continua illa per ſiphonẽ titillatione laryngis excitata natura ad vomitum. Atq. hæc hactenus: Tu interim hæc pro tua cõſuetudine, & ingenij candore accipito; noſti enim bonorum, & doctorum virorum iudicia libera eſſe debere, quamuis eadem habenis quibuſdam coërcere nitantur nonnulli.

DE FASCINO: AD DOCT. PETRVM Hollaers. XLVIII.

QVOTIES *mecum recolo, mi Holleri, humanæ vitæ fragilitatem, vt quæ præterquam quòd trecentis, & eo amplius, vt auctor eſt Plinius, morbis obnoxia ſit, etiam grauiſſimis caſibus, veneficiiſq́; ſubiaceat, non poſſum non verſus illos Menandri apud Plutarchum in libello conſolatorio ad Apollonium ſæpius ingemiſcendo reiterare.*

τὸ δὲ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ·
οὗ μεταβολὴν θᾶττον πρὸς ὕψος, καὶ πάλιν
ταπεινότητα ζῶον οὐδὲν λαμβάνει·
καὶ μάλα δικαίως· ἀσθενέστατον γὰρ ὂν
φύσει, μεγίστοις οἰκονομεῖται πράγμασιν.

Videmus enim frequenter eos quibus natura virium robur conceſſit, atque ad ardua etiam capeſſenda negotiã agilitatem, dexteritatem ingenij, atque in ambiguis perſeuerantiã, inuidæ mulieris præſtigiis faſcinari, & quod naturæ beneficio vegetum, firmumq́; erat corpus, atque ad actiones animales, ac naturales promptum, veneficio paulatim infici, ac contabeſcere: Eſt enim, vt quidam rectè definit, faſcinatio vaporis virulenti à corpore noxio

natura

natura ab aliis diſsidente ἀπόῤῥοια, quo aliorum corporis habitus, & ſpiritus per viſum, contactum, inuidiam, ob vocis & maledicæ linguæ virulentiam per vaporis halitum conſpurcati corpora contabeſcere cogunt. Et quanquam qui naturæ principiis inſiſtunt, fabuloſum hoc eſſe, nec in rerum natura conſiſtere poſſe arguant; videmus tamen euentu quotidiano contrarium approbari, maleficis tortura adactis, perpetratū ſcelus confitentibus: Abſurdum ſiquidem prorſus ſit eas in eculeo mentiri, præſertim quando citra vitæ diſcrimen verum fateri non poſsint. Et certè etſi ego in vtranque partem pronus animi anceps pependerim, neque certi aliquid hucusq; pronunciare auſus fuerim, fortuito quodam caſu, iam primùm didici homines venefica arte infici poſſe. Quum etenim adoleſcens quidam iuuenculam deperiret, ita tamen vt nuptias differendas cenſeret, illa, ſicuti audio, moram indignata (iam enim multi præterlapſi ſunt anni) philtrum quoddam exhibuit, quod ſimul ac ebibiſſet, veneficij vis per vniuerſum corpus diſperſa, venas, arterias, medullasq; depopulata eſt, ac primum quidē corpus continuo alui fluxu, lienteriæ non abſimili, niſi quòd fæculenta quædam cereuiſiariæ fæci ſimilia deiecerat, effluxit, tuſsis adhæc cōtinua aderat cum dextri hypochondrij dolore graui, & quum fruſtra hinc inde conſultis medicis quæuis adhiberentur, nec quicquam admitteret ventriculus quod non ſtatim per inferiora reijceret, & quum iam in longum tempus protraheretur malum, neque vlla recuperandæ ſanitatis ſpes eſſet, tandem poſt ſedecim, aut eô amplius annos, longo detentus cruciatu, vix ægra trahens membra, contabeſcente corpore, vitam fœlici morte commutauit. Affines caſum admirati, mecum, atque cum huius oppidi chirurgis aliquot egerant,

ne

ne grauaremur, inciſione facta, perſcrutari quanã fuiſſet tantorum cruciatuum origo, & vtrum veneficij ſigna aliqua in diſſecti cadauere inueniri poſſent; idq; eò vehementiùs vrgebant, quòd miſer hic dum adhuc in viuis eſſet, ſæpiùs affines ſuos interpellaſſet, vt ne omitterent quin defuncti corpus incidendum curarent. Aggreſſi igitur opus, pericardium cordi contiguum planè inuenimus, atque ita contiguum, vt annatũ diceres, exhauſto omni illo humore qui inter cor & membranam hanc medius continetur: quem Realdus Columbus *non tantùm in viuentibus, ſed & in mortuis deprehendi contra Curtium auctor eſt. Cæterùm etſi illud phthiſicis, atrophiſq; omnibus commune aliquis dicere poſſet, longitudine morbi humore illo abſumpto; inuſitatum tamen, infrequensq; eſt pericardium ita cordi adhærere, vt annatum eſſe videatur. Hinc quoniam continua tuſſis moleſta erat, ad pulmonem digreſſi, ſubſtantiam ipſius corruptam prorſus, ac purulentam deprehendimus, inciſione quaqua verſum per eiuſdem* λοβὸς καὶ βρόγχια *facta: quod vt naturaliter fieri poteſt, ita ad veneficium parum pertinere ſuſpicabar, niſi alia quædam concurriſſent ſigna. Hepatis ſubſtãtia, quantitas, & qualitas ſatis arridebãt. Dexterior ren quodãmodo purulentus erat, & iam quaſi conſumptus, adeò vt vix parui oui gallinacei magnitudinem æquaret, continens calculoſam quandã materiam: Siniſter magnitudine naturalẽ referebat, neque vlla ſui parte læſus erat: At ſtomachus, ſeu ventriculus, mirum dictu, inanis prorſus erat, omni chylo deſtitutus, &, quod magis mirandum eſt, omnibus carens villis: vnde veriſimile eſt, ſemper & proſtratũ omnino fuiſſe appetitum, & cibum in ventriculo non potuiſſe alterari, neque vlla ratione in eodem contineri. Siquidem quando, vt auctor*

eſt Galenus, libro De vſu partium, venter non vna tantum motione, ſeu actione ſit inſignitus, varios etiam villos eidem ineſſe oportebat; alios etenim requirit dum attrahit; alios dum retinet; alios dum expellit, quos inuidam illam veneficarum induſtriam ſenſim attriuiſſe ſuſpicio eſt, præſertim quando præter tertiam illam ventriculi tunicam nulla reſtaret, reliquis duabus conſumptis. His ceu corollarium addere lubet, quòd adoleſcentis huius barbæ (quum nòn eſſet prorſus barbatus, ſed ſicuti ferebat ætas, tenui tantùm, raraq; lanugine obductum quodammodo mentum habens) ab aſſumpto philtro nihil aut acceſſerat, aut deceſſerat, etſi corporis totius conſtitutio bilioſa ad barbæ incrementum plurimum facere poſſe videbatur. Quæ omnia, mi Holleri, etſi aliquo modo ad naturales cauſſas retorqueri poſſent, non videntur tamen prorſus à veneficij ſuſpicione libera. Tu interim ſicuti ingenio polles, (ſi modò tantum temporis tuæ occupationes tibi reliquum faciant) ſententiam tuam non grauaberis tranſſcribere, vt & nos te auctore conſtanter aliquãdo aſſerere poßimus, philtra hæc, aut vtcunq. vocare libuerit, nihil eſſe præter meras dæmonis præſtigias.

DE MATRICIS CLAVSVRA: AD CLARiſſimum Cliuiæ Ducis medicum D. Ioannem Wierum. XLIX.

OPORINVS *ille noſter homo iuuandis ſtudiis natus, proximis nundinis Francofortienſibus miſit ad me fragmentum operis tui De dæmonum præſtigiis (nondum enim, vt ſuſpicor, ſupremam manũ impoſuerat.) quod certè multo mihi erat gratißimum, tum quòd D. Daniel noſter Brouchuſius Reipublicæ Gorinchomienſi à medicinis, aliquando eius apud me mentionem*

nem feciſſet, & ingenij tui dexteritatem ſingularem ſupra communem hominum conditionem prædicaſſet; tum quòd ſperarem aliquando detectis huiuſmodi muliercularum naniis idolomaniam quæ multis ab hinc ſeculis hominum occupauit mentes, penitus eradicatū iri. Nam quantumuis annis abhinc viginti Iacobus Sauagius Andouerpianus medicus, mihi adhucdum iuueni eiuſdem argumenti librum communicaſſet, quem aliquando, ni mors inopina virum oppreßiſſet, typis committere decreuerat: non videbatur tamen is eſſe talis, qui inſitam iamdudum opinionem euellere poſſet. Siquidem etſi phyſicis quibuſdam demonſtrationibus deliramenta quædam eſſe declararet, conceßit tamen multa quæ argutiſſimè, & maxima cum ratione refellis: neque is (vt bona pace viri alioqui doctiſſimi dicam) vſque adeo ſcripturæ ſacræ teſtimonio vtebatur, vt qui ſua profeſſione contentus, medicis, phyſicisq́; argumentis tantum ſtabat. Tu contrà antiquiſſimorū Theologorum, Iuriſperitorum, atque eorum qui de magia ſcripſerunt (vt interim medicos taceam) argumentis innixus, quoties aliquid ſe iam egiſſe putant, nihil prorſus actum conuincis, & vt habet Græcorum prouerbium κύκλῳ περιέλκεις. dignum me herculè cedro opus, dignū quod omnium manibus ſceleratiſſimo hoc ſeculo circumferatur, dignum quod omnium mentibus imprimatur. Verùm etſi omnia talia ſint, quæ ſummam doctrinam, maximū ingenium, exactiſſimumq́; iudicium declarent; vnum tamen eſt, in quo mihi non per omnia ſatisfacias, eo præſertim loco, quo Antonij Beniuenij ſententiam de naturalium clauſorum inciſione recitans, videris hymenem cum matricis clauſura confundere. Nam quantumuis conſtet hymenem eſſe, ſicuti tu certiſſimis demonſtrationibus, &

clariùs quàm quiſquã hactenus, vel ex ipſis Bibliis comprobas; non tamen hinc inferendum eſt membranulam illã quæ ori vuluæ opponebatur, hymenem eſſe, ſed aliam quandam quæ circa ipſius pudendi oſculum adnata ſit: noſti enim, ſicuti puto, fœminarum naturalia frequenter concubitum nõ admittere; quod vitium Auicennas clauſuram; Albucas alraticam nominat; Græci ἀτρήτους, hoc eſt imperforatas, appellant. Cæterùm malum hoc, quum interim fiat ex morbo præcedente, quod φίμον aut φίμωσιν vocant, interim ex natura ſeu natiuitate; Aëtius Amidenus tetrab. 4. Ser. 4. cap. 96. trifariam accidere eſt auctor: Quibuſdam enim, inquit, in ipſis pudendi alis, labiiſue membrana, aut caro obturans naſcitur, aliis in ipſo pudendi ſinu idem contingit, aliis circa vteri oſculum eadem obturatio fit. Aëtio per omnia ſubſcribit Paulus ex Ægina medicus libro 6. cap. 73. & Cornelius Celſus libro ſeptimo cap. 28. ex vtero fœminarũ naturalia concubitum non admittere auctor eſt, conglutinatis inter ſe oris, membrana videlicet ori vuluæ oppoſita, quã duabus inter ſe tranſuerſis lineis (quod & à Beniuenio factum eſt) incidere docet, ad χ literæ Græcæ ſimilitudinem, cura habita ne vrinæ iter violetur. Huc adde quòd inter Arabes non aſpernandus chirurgus Albucas lib. 2. capite 72. alraticam, vti vocat, aut clauſuram fieri dicat, aut in profundo matricis, aut in lateribus, aut in ſuperiore, aut inferiore eiuſdem parte; & prohibet, inquit, à coitu, & impragnatione, & partu, & nonnunquam prohibet & menſtrua. Vides mi Wiere quàm hæc conueniant Beniueni noſtri ſcriptis; vides vt opinor, quantum ab hymene quantumuis craſſa diſtet adnata hæc pellicula. Nam ſi ea ſit conditio hymenis, vt tu tacitè quodam modo inferſ, vt menſes obſtruat, omnibus fere virginibus menſtruas

ſtruas purgationes intercipi erit neceſſe. Veriſimilius igitur eſt, quantum ego quidem coniicio, pelliculam à Beniuenio inciſam appellare clauſurã matricis, vt Auicennæ verbo vtar; quàm, ſicuti tu, ſuſpicari eandem hymenem fuiſſe. Si enim ita tenuis eſt, ac fragilis, vt primo, aut ad ſummum tertio viri congreſſu, diſrumpatur hymen, conſequens erit eundem vix toleraturum digitorum vulſellaq́; vt in imperforatis fieri conſueuit, contrectationes. Quæ ita dicta nolim tanquam probatiſsimã alioqui tuam ſententiam de hymene explodam, ſed vt quod in me fuit, Beniuenio patrocinarer. quòd vt grato accipias animo, vir doctiſsime, rogo: nam quàmuis nonnulli in viro amico libertatem hanc grauiter ferre ſoleant; ego alios ex me metiri aſſueui; qui maximi commodi loco duco à viro amico rédargui. Interim vale in eo qui vulnerati plagas ἀξιλεία perfudit ſcripturis aliquanto fuſiùs, ni Brouchuſii noſtri præpropera feſtinatio, dicere ſimul & ſcribere coëgiſſet. Goudæ, Non. Maij 1563.

DE FASCINO VARIÆ HISTORIÆ ad eundem. L.

MIRVM *dictu, mi Wiere, quàm pendeam animi, dum hinc ingenioſiſsimè abs te dæmonum præſtigias refutatas recolo, illinc certas, & recenti hominum memoria adhuc cognitas ſagarum & laniarum fraudes ob oculos pono. Quoties enim mecum perpendo, quæ partim vidi ipſe, partim à conſularibus viris audiſſe memini, inducor quodammodo vt credam maleficas, deo permittente, ac metas conſtituente, in corpora noſtra agere poſſe. Siquidem ſi vera ſunt, ſicuti ſunt, quæ Theodorus Cornelij F. iam olim vrbis Goudanæ conſul mihi retulit, procul dubio, neceſſum erit concedamus, inunctionibus*

illis

illis veneficis energiam quandam ineſſe, neque ſicuti cum alijs quibuſdam ſuſpicatur Ioannes Porta Neapolitanus, narcotica tantùm facultate prædita eſſe, quæ & altum inducant ſomnum, & pro diurnis votis, varias ſomniorum imagines repræſentent, vnde quidam temporis momento ſeſe integras prouincias, imò & Europam, aut Aſiam ipſam nonnunquam peragraſſe ſibi perſuadent. Cæterùm id quod Conſularis hic vir mihi retulit, tale eſt: Erat in pagò Ooſtbrouck nōn procul à Traiecto mulier vidua; cui ſeruus conuixerat ad obeunda, vt res poſtulabat, munia domeſtica. Is quum iam ſæpius, vt ſolent eſſe curioſuli ſerui, per tranſennā animaduertiſſet, heram nocte intempeſta ſtatim ac quieti ſe tradidiſſent domeſtici, quotidie in ſtabulum ad certum præfixumq́; locum venire, atque exporrectis manibus præſepi contiguum fœnile apprehendere. Admiratus tandem ille quidnam hoc negocij eſſet, ſtatuit & ipſe, inſcia hera, idem ſemel experiri, atque eandem pertentare aleam. Igitur hera ex conſuetudine ad ſolita veniente, atque ſicuti videbatur digreſſa, ſubſequitur & ipſe, locum contemplatur, atque exemplo heræ fœnile complectitur: Ibi ille ex tempore in aëra raptus defertur in oppidum Wyck, in abditum, & ſubterraneum ſpecum, vbi cœtum maleficarum de maleficiis conferentem inter ſeſe, repperit. Hera cum ſuis inopinam famuli ſui præſentiam admirata, rogat quo aſtu, aut qua tandem ratione momento temporis illuc appuliſſet. Reſpondit ille ordine vt res tranſacta eſſet: Tum illa indignari primùm, atque excandeſcere cœpit, verita ne nocturni, atque clandeſtini iſti conuentus, hac ratione tandem eliminarentur: Cum conſortibus igitur deliberandum cenſuit, quid in ambiguo hoc negocio faciendum ſuadeant. conuenit tandem inter eas, vt

amicè exciperetur, ſilentium ſtipularentur, atque arcana hæc quæ illi præter meritum & opinionẽ videre contigiſſet, nulli communicaturum ſe, aut reuelaturum ſanctè deieraret. Ille interim quiduis non pollicetur, abblanditur, & vt mitiùs cum eo ageretur, ſimulat ſe omnibus votis hoc vnum expetere, vt cum illarum gratia liceat poſthac ſortilegarũ intereſſe collegio. Interim dum conſultatur, labitur hora, & iam abeundi tempus inſtat. In dubium iterum, inſtigante hera, iam vertitur, remittendus ne domum ſit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omnium conſenſu mitior placuit ſententia, quæ iuramento addictum domum deferendum decerneret: Suſcipit eam prouinciam hera, atque fide data in humeros receptum domum delaturam pollicetur. Accinguntur operi, atque euro ocyus per aëra feruntur. Sed ecce emenſis iam bonam itineris partem, conſpicuum ſeſe dedit lacus arundineto obſitus. ibi malefica illa anus occaſionem nacta, verita ne iuuenis pœnitentia ductus quòd furialibus hiſce feriis (quemadmodum ſimulabat) initiatus eſſet, viſa tandem eliminaret, prouolans, à ſe diſiecit adoleſcentem, ſperans, vt ſuſpicio eſt, eundem partim caſus violentia enectum, partim lacus ipſius altitudine abſorptum iri. Verùm vt eſt Deus miſericors prorſus, non volens mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat; veſanæ illius menti metas conſtituit, neque paſſus eſt iuuenem inſontẽ ſubmergi, ſed aliquanto æquiore conditione permiſit, vt in hunc vſque diem vita eiuſdem protraheretur, dum forte fortuna in arundinetum decidens; lethalẽ plagam ex caſu non accepit, violentia, impetuq́; caſus per arundinetum quodammodo refractis. Interim miſer ille, qui ſolius linguæ miniſterio iam vtebatur, dum illuceſceret, mille diſtorquebatur

cruciati-

cruciatibus, ac ſuſpiria trahens, tantiſper ingemiſcebat dum prætereuntes inſolita lamentatione attoniti, facta indagine compererunt hominē prorſus elumbem, & cui vtraque excidiſſet coxa. Rogant vnde ſit, quomodò eô *calamitatis deuenerit: narrat ille ordine ſingula. defertur tandem curru Vltraiectum. Ibi nobiliſſimus vir Ioannes Culemburgius vrbis Prætor, rei nouitate quodam modo perculſus, admirabundus ſingula perquirit, atque indagine facta faſcinatricem heram comprehendi iubet, vinculiſq; conſtringi. Illa ſimul ac in manus præfecti veniſſet, nihil negare, ſingula fateri, atque ordine recenſere, & vt humaniter ſecum agerent, obteſtari cœpit.* In *ſumma, eò tandem res deuênit, vt ſenatores communibus ſuffragiis igni adiudicandam decernerent. Dicet hic quiſpiam, mirum non videri conſtantem prorſus fuiſſe mulierem, quæ ſupra communem hominum fidem multa & diceret, & à ſe perpetrata fateretur, atque ita pertinacem, vt non vereretur breui ſubſequuturū ignem; præſertim quando ſit ea atrabilàriorum conditio, vt quiduis potiùs perpeti malint, quàm à ſemel concepta opinione reſilire: nam quòd atræ bilis morbo laborent lamiæ, argumento eſſe formam, effigiemq; vultus, & totius corporis, ac tetricum quendam, toruumq; in dicendo aſpectum, cōſuetudinem ſolitariam, atque ab hominum conſortio abhorrentem, victus rationē melancholicam prorſus, & corpus inediæ patientiſſimum. Fateor hæc omnia ita ſe habere, ac cum Iamblicho cōcluderem, quæ faſcinati imaginantur, nullam habere actionis & eſſentiæ veritatem, niſi iuuenis hic adhucdum in viuis eſſet, atque cum conſulari hoc viro familiariter viuens, rem omnē & narraſſet, & vtraque coxa loco mota, neque adhucdum reſtituta, dictis auctoritatem conciliaſſet; atque his ceu auctuarium ac-*

 cedens

cedens maleſica confeſſio (quæ tamen tanti apud me non eſt, vt ei ſoli credendum exiſtimem) adoleſcentis dicta confirmaſſet, atque ſtabiliuiſſet. Iam ad aliud digrediar quod conſulari huic viro contigit: Is in ſuburbanum profectus, tabernam quandam cereuiſiariam prætervectus, vidit aliquot multis nominibus ſibi addictos; ſtatuit igitur eoſdem admonere debiti, atque ni perſolutum curarent, in ius vocaturum minatur: excuſant alij moras; alij quibus ingenium hominis mite prorſus perſpectum eſſet, rogabant aliquantulum temporis concederet. atque inter hos prorupit quædam toruo vultu, fixis in terram oculis, quæ calcitrantem, cui inſidebat, equum admirata, ſicuti videbatur, rogat quonam pergat, atque interim monet, ne quid nimis equo ſuo confideret. Subridens ille, Ecquid, inquit, putas mihi incognitam equi huius indefeſſam virtutem, qui eo ad decem, & eo amplius miliaria citra vllam defatigationem vti conſueuerim? Reſpondit illa, vereri tamen ſe ne ferendo ſit. Vir anilem ſubeſſe fabulam ſuſpicatus, ſubdit equo calcaria, qui præter conſuetudinem iam primùm ad motum pigrior, progreditur quidem, ſed labaſcentibus quodammodo, ac titubantibus pedibus. Admiratus igitur hanc ſubitam equi debilitatem, domum redit, equum manu pedetentim ducens, acciriq́ iubet ex tempore veterinarium. is quum ſudore madentem videt equum, rogat numquid defatigatus fuerit, vtrū poſt diuturnam quietem ſubitò extimulatus ad curſum, & num à concitatiore curſu confeſtim biberit, & alia eiuſmodi, quæ iumentis morborum origo eſſe ſolent: Et quum nullam euidentem cauſſam ad morbi huius generationem facere animaduerteret, rogat vt ſuæ fidei committatur equus; pollicetur interim ſe ſuo non defuturum officio, atque

omnem

omnem moturum lapidem, vt cognito tandem morbo, eidem auxiliares afferat manus. Conceditur veterinarij fidei equus, atque ad eundem in ſtabulum deducitur, vbi equus doloris vehementia exagitatus, pedibus humum ſcalpens, protinus in terram deuoluitur, crebra trahens ſuſpiria. Veterinarius conſilij penè inops, animo voluens quot, quantuq́; caſibus morboſis impetantur equi, venit illi in mentem, eoſdem aut propter emphraxim, vt vocant, aut quoties ſuo tempore lotium non reddiderunt, grauiſsimis ſubiacere periculis; experiundum igitur cenſuit, num quod vitium in ano, aut veſica eſſet; manum ergo in anum ingerit, perſcrutaturus, nũ qua materia in eo contineretur, quæ huiuſcemodi accidentia parere poſſet. conſueuerunt nanque equi quibus durior eſt aluus, & quorum anus ſcybalis quibuſdã præcluditur, ex qualibet cauſſa volutare, ac ſudore perfundi: & quum nihil tale reperiſſet, equi membrũ genitale, aut penem attrectare cœpit, quem manu eductũ vidit arctiſsimè, atque intricatiſsimè colligatum eſſe: tentat igitur primum nodum vnguibus diſſoluere, ſed fruſtrà; nexuum enim capita quum occulta eſſent, obliquisq́; inuolucris variè inter ſeſe abdita, ferro tantum diſſolui poterant. Erat autem nodus hic malefica arte, vt ſuſpicantur omnes, contextus ex tanabis radicibus; in hoc Gordium ſuperans nodum, quòd hic ex corni papyro plicabili, & in omnem partem flexili connexus eſſet, ille etiam ex ipſa radice dura, & ad complicationem rebelli. Nodo igitur diſſoluto, proſiliit protinus equus, atque per lotium maxima copia concreti ſanguinis reiecta, conualuit quidem; verùm ita, vt ad priſtinum illum ſuũ vigorem nunquam redierit. Quid hîc commemorem vtres illos emiſsitios ad anatis ſimilitudinẽ ex corio cõſutos, quos vulgus

 Lite-

Litelatas *vocat, quibus ad emulgendum in pratis lac è vaccis vtuntur? nam quantumuis eoſdem hactenus pro anili quadam fabula, atque meris nugis aſtimauerim, Neoſtadij tamen ad Lenum quod nunc Landſtroſtium appellatur, fortuitus quidam euentus docuit rem eſſe nimiſquàm veram, & in hominum perniciem excogitatam: quando ſub annum, ni fallor, 53. miles quidam probè potus ex pratis in ciuitatem per Leni pontem ſeſe volutantem vtrem vnum obuium habens, neſcio quid anteà ſtomachatus, educto gladio medium diſſecans, totam plateam lacte repleuerit, adeo vt facti rumor per totam ciuitatem diſperſus, omnes quotquot eſſent ciues rei nouitate obſtupeſcentes ad ſpectaculum alliceret: atque id ita factum eſſe multi fide digni ciues mihi retulere, qui ſuis oculis ea ſe vidiſſe teſtati ſunt. Huc accedit quod audiuimus Godelam quondã Kukers palàm confitentem vtrem hunc emißitium à ſe conſutum, atque emiſſum fuiſſe, ac non rarò magnam lactis copiam ad ſe detuliſſe. Hac ſunt, mi Wiere, qua te celare nolui, vt nos tandem hoc ſcrupulo liberares: nam etiamſi ſupra naturam quàm maximè, & phyſicas rationes ſit, quod lamias perpetrare videmus & audimus; vſus tamen, & experientia limitatam quandam poteſtatem habere in corpora noſtra docet. Tu interim, ſicuti in hac palaſtra verſatus es vt qui maximè, gryphum hunc ſoluere non grauaberis. Doleo interim nos adhuc fruſtrari integri tui operis de Dæmonum præſtigiis lectione. Vale.*

QVIBVS INDICIIS LAMIÆ *dignoſcantur.* LI.

QVONIAM *faſcini duo aut tria exempla hîc in medium protulimus, inſerendum orationi noſtræ*

exiſtimaui

existimaui certũ admodum, & indubitatum ad dignoſcendas ſortilegas experimentũ. Id autem tale eſt: Sagas has faſcinatrices apprehenſas, atque in vincula coniectas, primùm pollicitationibus aggrediuntur, expiſcaturi qua arte, quáue induſtria maleficium obiectum perpetrârint: dehinc ſi conſtanter à ſe id factum pernegent, minis, atque adeo ipſa tortura rem peragunt: quòd ſi ne ſic quidem certi aliquid elicere poſſunt, eaſdem aſſeri ſuperpoſitas reuinctis manibus, ac pedibus flumini exponunt. quæ quidem ſi faſcinatrices fuerint, etſi omni natationis vſu atque peritia deſtitutæ ſint, haudquaquam ſubmergentur; verùm vnà cum vndis leuiter ſubſultabunt, atque ita ſuffulcientur, vt ſuper aquas quodammodo ferri videantur. Quòd ſi à maleficij crimine liberæ ſint, neque ſubſultabunt, neq. natabunt, ſed fundum petentes protinùs mergentur, niſi præſto adſint, qui periclitantes in lembum recipiant. Atque id quidem multis experimentis, in ſua ditione compertum eſſe, mihi retulit Illuſtriſsimus quidam Princeps: frequenter enim magiſtratus decreto vnà cum lamiis furti, aut latrocinij conuictos in flumen proiectos eſſe, ibi videre licuit, hos ſtatim ab aquis abſorberi, ac demergi; illas contrà citra vitæ vllum periculum leniter ſuper aquam fluitare. Præter omnem igitur rationem eſſe cenſent multi, dicere veneficarum maleficia, præter imaginamenta quædam, ac dæmonis præſtigias, quibus hominum mentes, atque oculos effaſcinent, nihil eſſe; quando veriſimile prorſus ſit, & rationi conſentaneum, in tot tamq; celebribus magiſtratus conſeſsibus aliquos ſaltẽ fore, quibus verum illud lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum illuceſcens, has mille artificis artes detegeret: Et quamuis certum ſit Deum, propter hominum incre-

 dulitatem

dulitatem, interdum dæmonibus nonnulla permittere, & nonnunquam etiam ad multa conniuere; putandum tamen minimè eſſe, quin ex tam variis qui magiſtratu fungerentur aliqui ſint, qui conſtanti & intemerata fide Deo adhærentes, dæmonum huiuſcemodi præſtigiis ac dolis non illudantur: adeò vt veriſimile prorſus ſit, lamias Deo permittente in corpora noſtra agere quodammodo poſſe.

ÆSTATE MERVM VINVM *non dilutum bibendum eſſe:* ad Arnoldum Cobelium. LII.

MEMINISTI *puto, mi Cobeli, dum nuper Illuſtriſſimo Principi ac Duci Erico Brunſuicenſium & Luneburgenſium Duci prandenti adeſſemus, quumq́; ferculorum varietatem, diuerſitate argumentorum (vt nonnunquam fit) ſuperare contenderemus, tandem quum primoribus labiis vinum illud quo* C.S.C. *vtebatur deguſtaſſemus, atque id generoſum prorſus, vetulumq́;, atque amictū eſſe animaduerteremus, te ſubitò ad me conuerſum (ſicuti tibi cum medicis continua diſputatio eſt) intuliſſe: Nunquid, mi Balduine, noſti vulgatum eſſe medicorum axioma, hyeme parciùs, ſed meraciùs, æſtate largiùs, verùm dilutiùs, bibendum? nam in vniuerſum, inquit Diocles Caryſtius, humido tempore ſiccius omnino reddere corpus; per frigidum calidius oportet; æſtate omnia quæ refrigerium, humiditatemq́; conciliant, adhibere cōuenit; mei igitur officij eſſe* C.S.C. *admonere, vt deinceps ab huius generis vinis abſtineat, ac potiùs in eorundem locum oligophora, aut diluta ſubſtituat. Hæc ego, quoniam attentiùs ad ea quæ dicebantur auſcultantē videbam Principem, Rectè, inquam, mones*

receptum

receptum olim fuiſſe axioma illud medicum, adeò vt eidem contradicere nefas fuerit, & neq. ego quicquam contrà hiſcere auſim, niſi Illuſtriſſimam ſuam C. auidis auribus expectantẽ viderem, ſi quid contrà dicturus ſim; ſperans interim illum pro ſua ingenita clementia, non ægrè laturum, ſi tamdiu receptam opinionem non conuellere, ſed excutere nonnihil incipiam. Ac vt ad rem veniam; fateor, neque inficias ire poſſum quin ea quæ ex Diocle Caryſtio in mediũ protuliſti, vera ſint: Cæterùm ſciendum eſt ab ambientis aëris caliditate, innatum illum quo viuimus calorem quodammodo diſſipari, atque ventres ipſos, vel Hippocrate noſtro teſte, æſtate tum eſſe frigidiores, tum ægriùs concoquere, neque ſatis ferre cibos, promouendam igitur eſſe ipſius ventriculi functionem, ac refocillandum calorem illum; quod meliore ratione, aut maiori compendio fieri non poſſit, quàm moderato vini meri potu, quando non ſit quod meliùs aut citiùs collapſas vires reſtituat quàm vinum, Galeno ipſo De morborum cauſſis auctore, qui dicit, Vinum, ſi moderatè ſumatur, intimum calorem auget, quòd ſcilicet ſit alimentum maximè familiare: Ac proinde priſcos illos Græcos medicos, quoniam viderent hominum genus ad potum vini eſſe propenſius, aliquid conceſſiſſe conſuetudini, nonnihil etiam ſanitati: conſuetudini quidem, dum ſub Sirij exortum copioſius, verùm dilutum vinum concedunt; ſanitati, dum vini copiam aqua attemperant. Quare mi Cobeli, quum pluſquam compertum vtrique noſtrum ſit, Illuſtriſſimam S. C. nihil æquè odiſſe ac certamen illud quod adæquatis poculis ſit, verùm potiore loco ſemper habuiſſe inter edendum ſemet philoſophicis exercitationibus, aut his ſimilibus reficere, & quodammodo exhilarare; non reprobandam cenſeo Illuſtriſſimæ

S.C. conſuetam hactenus ſumendi vini rationem, idq́; eò potiſsimùm quòd C.S.C.conſtitutio, ſeu temperies à generoſo hoc vino nequaquam abhorrere videatur. Verùm quoniam catarrhi defluxu Cel.S.vtcunque obnoxia eſt,in rem C.S.eſſe ducerem,ſi vini potum tenui noſtrate cereuiſia,aut Embecana ſua condiat: ita nanque præcauturam ne vaporibus petatur cerebrum, & ab iniuriis,ſi quæ ſint,vini ſemet aſſerturam, atque ex Cornelij Celſi præſcripto victuram, qui alternis diebus modò aquam,modò vinum præſcribere conſueuit; aqua etenim inflammationem, vinum putredinem arcet: hæc ſiquidem potus viciſsitudo magis mihi placet, quàm vſitata hactenus vulgo diluendi vini ratio. Ac proinde quoniam aquæ hæ noſtræ,crudiores ac grauiores ſunt, earundem loco tenuem,ac artificiosè decoctam cereuiſiam recipere ſoleo. Quæ quum dixiſſem, nec tu quicquam ampliùs contrà proferres, conuerti me ſtatim ad Illuſtriſsimum Principem,atque C.S.hiſce verbis compellaui.Perge,perge,inquam, Illuſtriſsime Princeps, tuo more æſtate merum vinum bibere,quamuis doctorum noſtrorum reclament placita;& ſi quando per grauiſsimas tuas occupationes integrum ſit temet philoſophicis quibuſdam exercitationibus reficere: ita enim fiet, vt corpus ſimul & animum paſcas,quod priſcos illos philoſophos in φιλοτησίαις ſuis olim factitaſſe meminimus, qui ne philoſophiæ ſepta inter edendum tranſgrederentur, aut vini copia ſeſe grauarent, ſolebant ænigmatibus quibuſdam,aut gryphis ſe exercere; quos qui ſoluere non poſſet, cogebatur poculum ſalſuginis humore mixtum vnico exhaurire ſpiritu,vt ſic facilius mentis nebulæ diſcuterentur: exiſtimabant enim ſalſi vini potatione acui ingenium,non ſecus ac vinum iniecto aut ſale, aut muria omnem fæculentiam

lentiam

lentiam exuit. Perge igitur, perge inquã, macte virtute Princeps tuo more prandere, atque animum, & corpus reficiens, modò philoſophicis, interim etiam theologoumenis diſputationibus temet exercere: ita fiet vt vitam incolumis in multos protrahas annos, ac tandem optata fruaris ſalute. Quæ quidem, mi Cobeli, quum ita acta eſſe ſcias, atque ego (quanquam illa pro tempore, diſputationis ergò, vt paradoxa omnino, in medium protuliſſem) mecum expendens poſtmodùm, ac reuoluens, iudicaſſem eadem non omnino à ratione aliena eſſe; ſtatui & tibi cicatricem quodammodo refricare, & perſuaſum curare, vt eodem quo Illuſtriß. Princeps calle inſiſtens, tertium tantùm poculum Ioui Soſpitatori quondam dicatum deinceps bibas; ita enim futurum; vt pingui tuo aqualiculo nonnihil adimatur, & longè quàm antehac fœlicius agas.

AN IN CALCVLO RENVM CONVEniat *lumbis applicata lamina plumbea:* ad Hugonem Nieuenium. LIII.

FATEOR; *neque inficias ire poſſum, Doctor excellentiſſime, me quum poſtremò iſthic apud Generoſum Dominum Splinterum ab Argom pranderem, non per omnia laudaſſe, aut, ſi ita vis, vituperaſſe bracteam plumbeam, ſi continuò lumbis inſternatur: & ſanè ſi iſthuc conſilium à tua pharetra, aut alicuius alterius noſtræ profeßionis depromptum cognouiſſem, modeſtiùs vtcunque pronunciaſſem, ac potiùs rem in dubium vocaſſem. Verùm vtut eſt, parùm in hanc partem peccatum eſt, neque exiſtimationi tuæ quicquam detractum. Ego certè ita aſſueui, vt nullius addictus iurare in verba magiſtri, ratione atque adeò vero ipſo nihil habeam potius:*

tius: in cuius indagine quoties minùs intenti ſumus, fit interdum vt quàm longiſsimè à ſcopo aberremus: quod quidem niſi ita conſtitutum eſſet, ſuprà humanitatem aſſurgeremus nonnihil, humanum etenim eſt labi: neque artis noſtræ longitudo admittit, vt omnia aut indagemus, aut cognoſcamus. Quare ſi quid hac in parte erratum ſit, ac in aqua tua, & iuſta ſententia, vt ſcribis, iniuriæ notam inuſsi, lubens culpam fatebor, ſi modò id aut vſu, aut ratione, aut auctoritate comprobare poſsis. Sed hæc miſſa facio: In dubium vertitur, an in calculo renum plumbea lamina lumbis applicata proſit. Ad eam quæſtionem ego reſpondi liberè & ſyncerè, non ſolùm non prodeſſe, verùm etiam noxam aliquando ſecum afferre; vt longo rerũ vſu & experientia didicimus, vt interim rationem omittam: neque ſcire, aut coniicere poſſum, qua ratione calculoſis bracteam plumbeam geſtatam prodeſſe dicas, quum omnes vno ore medici, calculoſis æquè ſuſpecta habeant infrigidantia, atque intensè calefacientia. Nam ſicuti calculo non præbebit generationem igneus intenſusq; calor niſi in renibus contenta ſit materia lenta, craſſa, ac frigida, in quam igneus ille calor agat, ac tandem in tophaceam duriciem furni modo adaſſans cogat, lapidisq; formã inducat: Ac proinde, ſicuti mixta quadam eſt origo calculi renalis, ita neque intensè calida aut intrò adhibita, aut foris applicata, neque etiam contrariæ facultatis, frigidæ dico, efflagitãt remedia, ſed quæ medio quodam ordine inter hæc collocanda ſunt, hoc eſt calidi frigidiq; exceſſus quodammodò expertia mediaq;; à quibus quamplurimùm diſsidet plumbum, vt quod intensè frigidum eſt, vt auctores ſunt, Galenus, Oribaſius, Aëtius, atq. Paulus ex Ægina medicus; vt interim neotericos omittam: Liquidam enim ſubſtantiam continet à

frigidi-

frigiditate coactam, quibus facultatibus non ſolùm non proderit calculoſis renibus, ſed & materiam generando lapidi eiſdem ſubminiſtrabit, atque calculoſæ materiæ expulſionem prohibebit. Non negauerim tamen eſſe affectus, in quibus tutò, & citra omnem noxam lamina plumbea lumbis applicari poſſit, qualis eſt in Venerem propenſitudo nimia, aut ſeminis genitalis à cauſſa calida profluuium, quibus Galenus, Aëtius, & Æginetæ, & quotquot extant claſſici ſcriptores, cũ maximo emolumento adhiberi dicunt, quum renes haud obſcurè refrigeret, atque adeò venerea illa inſomnia, gonorrhœamq; cohibeat: quocirca & priſcos illos athletarum lumbis inſternere ſolitos, ſiquidem quum ad ſummum bonitatis attingunt, vt ait Hippocrates, facillimè quoque venereis inſomniis capiuntur, ad quæ compeſcenda, ne quid corporis moli decederet, lamina plumbea renes obueſtiebant. Quum enim nihil ſit quod vires magis proſternat quàm ſeminis profluuium, aut Veneris intempeſtiuus vſus, id vnicè athletis cauendum cenſuerunt, ne quoquo modò afflueret genitale ſemen: præſertim quando Plato libro ſuo de Republica, veſci cibis citra ſaturitatem, non refugere labores, ac naturæ ſemen conſeruare tanquam tria ſaluberrima cenſuerit. Verùm vt ad rẽ redeamus, quum à gonorrhœa quam maximè diſsideat lithiaſis aut renes calculoſi, diuerſa etiam requirunt remedia; ſiquidem hi, vt iam dictum eſt, non ſimpliciter infrigidantia, ſed quæ mediæ cuiuſdam temperiei ſint requirunt, hoc eſt quæ non intenſè refrigerant, & meatus laxos, amplioresq; reddunt, in quem vſum Græci omnes, atque adeò Arabs ille Auicenna, eiusq; ſequaces poſt principia fomentationes, aut cataplaſmata ex fœnugræci ſemine, aut maluæ radicibus, chamæmelo, & ſimilibus exhibere ſolent, quòd

videlicet

videlicet moderato ſuo calore, non ſolùm vias laxiores, amplioresq́ reddant, ſed & materiam quodammodo expulſioni præparent. Sed & neque in quibuſuis gonorrhœis bracteam plumbeam rectè applicueris, verùm iis tantùm, quibus coniunctus eſt renum calor, & quæ ex ſeminis efferueſcentia, copiaq́ cõtingunt. Noui ſiquidem nonnullos qui (quum nimis temerarij eſſent in eiuſdem vſu, atque quibuſcunque etiam gonorrhœis eandem applicarent) homines continuæ renum deſtillationi obnoxios reddiderunt; ita vt deinceps valetudinarij viuerent, & à priore malo nihil prorſus decederet. Interim his paucis vale, & ſi quid his rectius habeas, candidus imperti.

ENEMATVM INFVSIONEM SANGVI-*nis miſsionem interdum præcedere debere.* LIV.

QVANQVAM *quæ de ſanguinis miſsione quæ hora pomeridiana obitur diximus, ex diametro cùm Garciæ Lopij Luſitani capite 12. pugnare videntur, & inter abuſus, qui à multiſcio Cardano conſcripti ſunt recenſeri poſſint; viſum fuit ſententiam noſtram appendicis loco deſcribere, vt diſcat tandem Lopius ille Arabes, vſu exigente, cum Galeno, atque aliis artis noſtræ coryphæis conſerre atque conciliare. Siquidem quamuis abuſus maximus ſit præponere pharmaciam venæ ſectioni, vt rectè annotauit Cardanus; non poſſumus attamen negare, quin nonnunquam etiam in acutis morbis ante ſanguinis imminutionem, iniiciendus ſit clyſter; neque exiſtimo quenquam qui vel à limine medicinam ſalutârit, eô dementiæ deueniſſe, vt in animum inducat ſemper ante venæ ſectionem eluendum ventrem enematibus.*

tibus. Conſiderandum enim eſt, num ante fluxa ſit nimium aluus, aut aſtricta; nam ſi alterutrum fuerit, tantiſper à ſanguinis miſſione ſuperſedendum eſt, dum vires & occaſio ferãt. Hinc, vt ipſe Lopius infert, Auicennas in pleuritide quoties aluus lubrica eſt, à venæ ſectione abſtinet, quòd videlicet vnà cum excrementis ſpiritus exoluantur, ac vires labaſcãt: hinc idem dicit, phlebotomiam non eſſe faciendam fæce ſicca exiſtente. Quod quamuis Garcias noſter reprehenderit, mihi tamen animaduerſione haud quaquam dignum videtur, vt quod rationi maximè conſonum ſit, & quod ex Galeni penetràlibus, atque artis noſtræ arcanis in ſuum canonem tranſtulit. Galenus etenim libro nono Methodi therapeuticæ inquit, Attendenda verò cum ſecandæ venæ indicationibus ſunt, tum quæ eam præcedunt, tum verò quæ excipient; nam ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ ſectionem iubebis, quantum ſatisfacẽre ad eorum concoctionem, tum vt excrementa deſcendant, videbitur: Sin ſequetur, neceſſariò vacuatio quæpiam; tantùm illi de ſuperante parcendum quantum eſt per eam vacuandum. Aëtius etiam in continentibus febribus præcedente ciborũ cruditate, eouſq; differendam venæ ſectionem dicit, donec ſatis eſſe videatur ad concoctionẽ ipſorum in ventre perficiendam. Galenus quoque libro iam citato, Iuueni ſynocho laboranti propter cõcoctionis tarditatem quæ præceſſerat, venæ ſectionem remiſit, ac diſtulit, aliis eandem tanquam neceſſarium omnino remedium ſuadentibus. Quibus argumentis, etſi alia nulla ſupereſſent, inducor omnino, vt quoties inteſtina excrementis diſtenduntur, ante venæ ſectionem leni enemate aluum eluendam pronunciem, ne videlicet corruptela aliqua humorum rapiatur in venas, ac ſanguini commiſceatur.

miſceatur. Nec eſt quòd hîc vereamur exolutionem aliquam ſpirituum, quam tantopere reformidat Lopius, quando potiùs credendum ſit eductione facum & recrementorum, quæ (ſicuti veriſimile eſt) antè diſtendebant præcordia, patientem ſeipſo ad quæuis obeunda robuſtiorem, atque ad ferendam ſanguinis miſsionem promptiorem alacrioremq́; futurum. Neque me mouent ea quæ de clyſmis ex quarto Hippocratis De victu acutorum in medium profert; eadem ſiquidem pro nobis militare videntur: nam quum antè dixiſſet Hippocrates: In acutis ſi vehemens videatur morbus, flolueritq́; ætas, atque vnà virium affuerit robur, ſanguinem detrahes; ſubiungit: Vt ſi debilior ſit æger ob copioſam ſanguinis miſsionem, quàm vt purgationem ferre poſsit, ad expurgandas morbi, ſi quæ ſint, reliquias, tertio quoque die clyſmum, vt qui citra ſpirituum iacturam ac virium exolutionem ſit, ventri infundamus, donec in tuto fuerit æger. Vnde inferri poteſt, clyſteres rectè tum demum infundi poſſe, quoties imbecillæ vires, nec euacuationem, nec purgationem ferre poſſunt, nec tantùm tertio die exhibendos, ſed & ſtatim in ipſo principio, ſi ſanguinis miſsionem, aut purgationem, non admittat æger propter iam dictam hypotheſin. Nam quòd olim cruditate aliqua grauato corpore non mitteretur ſanguis, ante abolitam cruditatem atque amotam materiam, ſi qua grauaret, ac diſtenderet inteſtina, inter alios etiã auctor eſt Cornelius Celſus libro 2. capite 9. Siquidem quum crudo minimè mittendum eſſe ſanguinẽ dixiſſet: Tamen ne id quidem perpetuum eſſe debet, inquit. eſt enim quando concoctionem res non expectet: vt ſi quis ex ſuperiore parte deciderit; ſi contuſus ſit; ſi ex aliquo ſubito caſu ſanguinem quis vomit. ac ſi dicat: His & ſimilibus caſibus demptis non tentan-

tentandam ſanguinis miſsionem, ante concoctionem in primis venis abſolutam, & antequam inteſtina excrementis libera ſint.

ALOETICORVM VSVM AD *ſanitatis conſeruationem vtilem:* ad Gerardum Kegelin. LV.

ANNIS *ab hinc aliquot, dum enarrationes in ſecundum Cornelij Celſi meditarer, mi Gerarde, atque ad capitis duodecimi locum deueniſſem, vbi medicamentis reliquis quòd ſtomachum ferè lædant, aloën admiſcendam dicit, vix potueram calamum cōtinere, quin in Franciſcum Emericum inueherer, quòd aloën, atque ex eádem factas compoſitiones, à communi vſu ſemotas pæne, atque ſubtractas vellet; quòd, ſicut inquit, aloë ante tempus ſenium afferat: niſi ea ſententia ſanior viſa fuiſſet, quæ dictabat non immorandum aliorum perperam conceptis opinionibus, ſed perſiſtendum tantùm in locorum enarratione, præſertim quando ſolius Emerici auctoritatē tanti apud doctos haudquaquàm fore ſuſpicarer, vt antiquiſsimorum doctorum, atque artis noſtræ coryphæorum auctoritatem aliquo modo eleuare poſſet. Verùm quando in eodem luto verſari viderem præclariſsimum huius ſæculi medicum, & inter reliquos πλυίςατον, & cui me plurimum debere ingenuè fateor, non potui non meam de aloë, atque aloëticorum vſu cenſuram in medium proferre: idq́; eò potiſsimùm, quòd, vt noſti, apud varios non ſolùm ad propulſandos morbos, ſed & ad conſeruandam integram valetudinem ſummè commendatam habuerim. Eam igitur etſi medici noſtri medicamentorum omnium præſtantiſsimam, ac ſtomacho gratiſsimā eſſe dicant, non verentur tamen in Ioannem*

Meſuen tanquam proprij conſilij pœnas dantem, atrociùs inuehere, quòd eandem cum cibo ſumptam ſanitatem tueri aſſerat; quaſi idem non affirment Oribaſius, atque Aëtius: Siquidem ille abſinthio eandem conferens, ſtomacho placidiſsimam eſſe contendit, & ſumi quotidie poſſe à cœna. Subducitur enim, inquit, & ciborum vim non hebetat, prætereà ſitim non inducit, & hominem ad cibos ſumendos facit promptiorem: Aëtius autem, quemadmodum & Oribaſius, commodam eſſe dicit, aut à cœna, aut manè ante cibum: quod & à Galeni placitis alienum haudquaquam eſſe ſuſpicamur; nam quantumuis libro ſanitatis tuendæ quinto, & ſexto, aloën neque ſiccam, neque melle exceptam ſenibus concedat, niſi maior aliqua neceſsitas vrgeat; idem tamen libro quinto De compoſitione medicamentorum ſecundum loca, eandem lotam febricitantibus dare non veretur: adeò vt nihil minùs quàm tabem eius vſus (ſicuti quidam impudenter in medium proferre audent) inferat: Quanquam non inficier, bilioſis, & exſuccis corporibus eius vſum non omnino innoxium futurum, quod nō tam ratione aloes, quàm ipſius ſubiecti fieri credimus. Nam vt de cōpoſitione medicamentorum localiū Galenus: Infeſtiſsima etiam eſt aloë, etiam lota, iis qui citra vitiatos humores ex intemperie calida & ſicca affliguntur: proximā ab hiis cladem accipiunt, qui ſiccam intemperiem habent frigiditati implicitam, & in vniuerſum, qui ex ſola qualitate particulam aliquam affectam, aut læſam habent; etenim in humoribus intemperaturæ pharmacis ipſos euacuantibus egent; quæ verò abſque iis conſiſtunt, penitus in tabem deueniunt, ex pharmaci huius ex aloë cōſtantis vſu: Vnde colligere licet, quòd in corporibus, quæ quum ſana ſint, vitioſis tamen vtcunque infeſtantur ſuccis, aloë non

citra

citra ſummum commodum exhibeatur, idq́; potiſsimùm ſi iidem ventriculi villis tenaciùs adhæſerint; vis enim eius, vt ſeptimo methodi therapeuticæ teſtatum reliquit Galenus, ſupra ventris & inteſtinorum loca non aſcendit; aut ſi quid vltra vaſa tantùm in meſenterio contingit. Siquidem, vt auctor eſt Actuarius, auctor inter veteres poſtremus, inter neotericos primus, aloë vniuerſum corpus nequaquam euacuat, ſed inhærentem ventriculo, aluo, & inteſtinis bilem vnà cum inſidentibus ibi recrementis citra noxam exigit; ac propterea Galenus eandem inter purgantia medicamenta non recenſet, verùm inter ea quæ quòd ventrem tantum ſubducant, ἐκκοπρωτικὰ dicta collocauit. Intrepidè igitur ex præſcripto Oribaſii in rigido hoc noſtro ſeptemtrione, tertio, aut quarto quoque die, nō ſolùm ſucculentis à cœna aloën exhibuerimus, ſed & intemperantibus, guloſisq́; & ventri vinoq́; deditis, quantumuis dicat Galenus reliqua medicamenta parum admodum, aut nihil profutura; quod videlicet aloë expellendis noxiis ſuperfluisq́; humoribus à crapula congeſtis, & concoctioni promouendæ ſufficiet. Quod & nos longo rerum vſu comperimus. viuidiores enim, alacrioresq́; redditos vidimus, quotquot eo medicamento (ſi modò inter medicamenta numeranda ſit) ex præſcripto noſtro vſi fuerunt: Si cui tamen placuerit magis Pauli ex Ægina medici ſententia, qui eandem manè ex aqua mulſa dat, per me integrum eſt, quanquam plus emolumenti à cœna attuliſſe multiplici experimento comperimus, atque id potiſsimum ſi lota fuerit; nam illota valentiùs vacuat, elota vacuat quidem minùs, ſed roborat ventrem magis, & minùs quàm non lota exiccat: quare, vt antè retulimus, febrientibus quibuſdam eandem Galenus conceſsit. Nec eſt quod eiuſdem

 inten-

intenſam amaritudinem incuſemus,quemadmodum facit multiſcius ille Cardanus; quum Oribaſius, Aëtius, Ægineta, Actuarius doceant eandem in orbiculos redigendi modum,aut cum braßica, aut corticum citri ſucco,aut terebinthina, aut alio eiuſmodi ad amaritudinem eiuſdem ſi non in totum amoliendam, ſaltem refrenandam: nam ſicuti catapotia integra deglutiuntur,ita ni maſticentur, extraneas, guſtuiq́; inſuaues qualitates tam facilè nō exerunt. quæ ita dicta nolim tanquam viri doctißimi & mihi nunquam niſi honoris titulo nominandi,cuiusq́; monumentis plurimum afficior,ſcripta obtrectare velim,ſed ne pharmaci nobilißimi,atque naturæ noſtræ familiarißimi vſus explodatur, aut quam conueniat hominum ſanitati infrequentior ſit.

LEONARTHVM FVCHSIVM INTERdum *vehementem plus æquo eſſe in redarguendo Ioanne Meſue: Et Garciam Lopium præter rationem omnia tempori tribuere:* ad Danielem Brouchuſium. LVI.

DOLENDVM *prorſus eſt in arte noſtra præclaros viros adeò eſſe obſtinato animo, vt nihil niſi quod Græcis acceptū ferre poßint, admittāt,atq. optimè etiam ab Arabibus dicta perſtringant, redarguant, atque in calumniam vertant: eò enim deuenerunt nonnulli, vt ſi quid ab illis ad poſteros deuenerit commodi,id non tam ipſis tanquam inuentoribus attribuendum cenſuerint, quàm tempori, vt quod iocunda quadam rerum viciſsitudine ſemper aliquid apportet noui;in quo albo Garcias quidam Luſitanus eſt: alij contrà pro delectamento habeant,ſi quādo aut in Meſueum, aut principem Auicennam*

niam debacchari poſſint, atque eorundem ſcripta in dubium vocare: Siquidem Leonardus ille Fuchſius, cui medicorum ſchola plurimum debet, in ſuis paradoxis dum Arabum recenſendis erratis immoratur, nimia quadam calumniandi libidine, tanquam œſtro quodam percitus, bene à Meſueo dicta peruertit: Meſues ſiquidem quemadmodum ille innuere videtur capite ſecundo primi Paradoxorum libri, non dicit apertè, ac citra exceptionem, aloën commixtam melli minus purgare, ſed melle exceptam minus quidem purgare trahendo, intenſiùs autem partes quas permeat tergendo. Quã Meſues ſententiam ſi quis diligentiùs excuſſerit, comperiet eundem à vero nihil aberrare, verùm aloës & mellis facultates ad amuſſim expendiſſe, dum intendi terſionem in euacuando dicit, quoties aloë melli commiſceatur: eſt enim mel extersoriæ exquiſitè facultatis; non tamen intensè purgatoriæ, quemadmodum neque aloën rectè extergens aut purgans medicamentum appellaueris, ſed ἐκκοπρωτικόν. Ab hoc non diſſimile eſt quod ſequente capite idem cauillatur, vbi infert, quòd Meſueus neget aloën obſtructiones hepatis aperire, atque adeò ipſi hepati eſſe noxiam: quòd qui Meſuem attentiùs legit, meram eſſe calumniam iudicabit; is etenim poſteaquam ex Galeni ſententia dixiſſet hepati calidiori & ſicciori obeſſe aloën, ſubiungit tamen paulo pòſt eandem iecinori prodeſſe, atque ičterum tollere: quod quaſo quid aliud eſt dicere, quàm quòd obſtructiones hepatis, vt quas arquati ſubſequi ſoleant, tollat? quos locos curſim annotaſſe libuit, ne ſuprà quàm decet Fuchſio deinceps tribuant ſtudioſi, dum recenſendis aliorum erratis pertinacius immoratur, atque inhæret, qui nonnunquam dum propriis affectibus plus æquo indulget, (fatetur enim capite octauo eiuſdẽ libri, ſe liben-

ter in recenſendis Meſues erratis verſari) præceps ipſe in vitium labitur. Sed de his ſatis: nũc ad Garciam Lopium Luſitanum vela vertamus, qui in ſuis in varia de rei medicæ lectione commentariis, Medicamenta, inquit, benedicta, quorum apud Arabes maximus eſt vſus, non tam illis debemus quàm tempori quo ad illos ex India & Syria fuerunt aſportata, quaſi verò ignoremus, rerum omnium iugem quandam eſſe viciſsitudinem, qua ſemper aliquid noui & inuſitati nobis offertur; verùm eam viciſsitudinem ego potiùs acceptam ferendam cenſeo ſolertiæ & diligentiæ hominum, quàm tempori, quum nihil ſit quod non fuerit priùs, vt habet ſapiens. Nam quis niſi amens, inuentionem ſalis ex ſingulis herbis? quis ſpiritum, aut alcohol, vt vocant, vini? quis extractionem, vt dicunt, eſſentiarum ex herbis, floribus, radicibus, lignis & ſeminibus per chymicam artem edocuit, quàm humana ſedulitas? cui tempus, & ætas, & vſus, ſemper aliquid addunt; ſed ita vt inuentionem eorundem ipſis hominibus potiùs, quàm aut tempori, aut ætati nos debere cõfiteamur neceſſe ſit, quãuis ſedulo reclamet Luſitanus ille ingenij acumine & iudicij promptitudine inſignis.

IN DYSENTERIA, CONTRA LEONARDI *Fuchſii opinionem non ſolùm aſtringentia, ſed & laxantia requiri;* ad eundem. LVII.

QVI *Leonardi Fuchſii paradoxa diligenter excuſſerit, atque ad rationem reduxerit; videbit eundem, vt iam antè dixi, dum recenſendis aliorum erratis pertinaciùs inhæret, non rarò impingere. Fit ſiquidem interdum, vt dum antiquorum ſcripta non ſatis cum iudicio & delectu legimus, ſingula prout occurrunt, in noſtram ſententiam conuertamus, atque interpretemur.*

quod

quod Fuchſius capite decimotertio libri ſecũdi paradoxorum (pace eius dixerim) mihi feciſſe videtur, dum terminum (quæ dyſenteria Græcis appellatur) curationem aſtringentibus tantùm medicamentis apud Hippocratem & Galenum abſolui contendit:qui enim vtriuſque ſcripta diligentiùs examinarit, inueniet nõ tantùm adſtringentibus, ſed & rarefacientibus interdum & laxantibus tormina curari: quod Galenus libro primo De ſimplicium medicamentorũ facultatibus capite 36.apertè demonſtrat, vbi dicit, Herodotum, Dioſcoridem perperam quæcunq. alui profluuiis aut dyſenteriis medentur, cenſuiſſe aſtringentia; quum minimum, inquit, aſtrictionis habeant, imò prorſus cõtra rarefacientia nimirũ ſint, & laxantia,quando alioqui quæ conſtringunt,corpora contrahant,atque conſtringant:quod & Hippocratis doctrinæ libro De internis affectionibus affine eſt: Siquidem is vbi purgauit caput, pharmacum in potu exhibet, quod ſurſum pituitam purget,aluum lacte eluit;& ſi quidem febre caruerit, inquit, pinguibus, ac dulcibus, ac liquidis ſemper quæ inſunt, ex aluo ſubducito: ita vt ſenex ille dyſenteriæ curationem in tribus potiſſimùm conſiſtere doceat,auerſione videlicet materiæ,ne ad locum affectum decumbat, & aſtrictione glutinationi cuidã commixta, atq. noxij humoris citra moleſtam mordicationem eductione, ne dum tenaciùs ac diutiùs inteſtinis inhæret, eroſionem, & vlcerationẽ vlteriorem faciat; quanquam ſi grauis admodum ſit dyſenteria,à mordentibus nequaquam ſit abſtinendum:nam,vt duodecimo methodi therapeutice Galenus; vbi virium roboris fiducia eſt,nunquam contra ſymptoma pugnamus, vt contra prorſus per ea nonnunquam præſidia, quæ dolorem afferunt, morbos ipſos curamus, veluti profectò dyſenteriæ ipſi

 morden-

mordentibus maximè medicamentis, tum potiſsimè medemur, quam vtique ſit grauiſsima: ſic Themiſon, vt auctor eſt Cornelius Celſus, duram muriam infundi præcipit. Atque hanc eſſe veram curandi torminoſos methodum intelliget, qui varias profluuij alui cauſſas expenderit. Aliam ſiquidem curationem poſtulat morbus vbi ex acrimonia humoris fit; aliam quoties materiæ multitudinem, aut copiam ſequitur. Siquidem ſi copiam materiæ originem habeat, nõ tolletur affectio, ante ablatam cauſſam; quare ne materia ſerpendo vlcerationem adaugeat, conſultum hîc eſſe cenſuerim, ſtatim in ipſo morbi initio eandem leni medicamento, aut enemate ſi in inferioribus inteſtinis conſiſtat, malum educere. Neque eſt quod hæc reformidemus ex ſpirituum iactura virium reſolutionem, quando credendũ magis ſit, ſublata cauſſa ſeipſo firmiorem futurum ægrum: nam ſicuti in aphoriſmis docet Hippocrates, ſi talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: quod ſi leuiter ferunt ægri, quoties quæ noxia ſunt expurgantur, quorſum in metu eſſe dicemus animi deliquium; ſi dyſentericis aliquibus materia peccans medicamento educatur? Nam & Galenus libro De arte curatiua ad Glauconem, non dicit animi deliquium ſubſequi purgationes factas in dyſenteria, ſed ex ipſo morbo animam deficere arguit. Præterea idem libro xij. methodi therapeutice aſſerit quidem immodicas purgationes quum vires lædant, affectui tamen ipſi non ſemper obeſſe. Quoties igitur poſtulauerit vſus, non verebimur in principio conſtantibus adhucdum viribus dyſentericis, ſi quid ſit quod morbo materiam ſuppeditare poſſit, demere, ita tamen vt citra moleſtam mordicationem fiat, ac tum demum aſtringentium, ac conglutinantium vſus conueniet, quanquam ſi

res

res flagitet, vt iam ex Galeni ſententia diximus, à mordicantibus haud quaquam abſtinendum ſit, quum ſit ab æqualibus ordienda curatio; ſummis enim morbis, extremè exquiſita remedia conueniunt, ſicuti magna magnis, mediocria mediocribus, atq. remiſſa ſeu leuia leuibus.

IN MORBO REGIO NON TEMERE *nec quauis ex cauſſa mittendum ſanguinem.* LVIII.

Si qui hodie artem medicam exercent, breuem illam ſexto Epidemion Hippocratis ſententiam, qua dicit morborum curatricem eſſe naturam, medicum verò naturæ miniſtrum, ad memoriam reuocaſſent, non dubito quin in morborum curationibus alia longè quàm nunc methodo vterentur, nec in omnibus ſtatim morbis, aut ſanguinis miſsionem, aut purgationem humorum meditarentur, quum non rarò duo hæc remedia non ſolùm non iuuent, ſed ægrum in præſentiſsimum deducant periculum: Si etenim criſim per ſudores moliatur natura, fruſtra aut ſanguinis miſsionem, aut purgationem præſcripſerit medicus, quando ſatis conſtet iiſdem criſim impediri, & naturam ipſam ab officio reuocari. Siquidem quemadmodum morbi variis, atque iiſdem diuerſis modis iudicantur, ita varios curationis ſcopos ſortiuntur. Nam ſi morbus per abſceſſum, alui fluxionem, vomitum, ſudores, vrinam, ſputum, ſanguinis profluuium aut è naribus, aut hæmorrhoidibus, aut alia quacunque ratione terminari debeat, aut ad criſim tendat, totus in hoc eſſe debet medicus, vt motũ naturæ pro viribus promoueat: nam, vt in aphoriſmis ait Hippocrates: Quò natura fert per loca maximè conuenientia, eò ducere cõuenit. Quod quum ita ſit, mirari ſatis non poſſum curandi ictericos

methodum (ſi modò methodum appellare liceat) hactenus ab omnibus receptam; quamuis enim confiteantur omnes, ictericiam aliud nihil eſſe quàm profuſionem humoris billioſi in cutem, atque extimas corporis particulas, ob ſecernentis eum facultatis debilitatem, quæ eam ſegregare, atque ad excretionis proprios locos demittere non valet, non ſtatim à ſanguinis miſſione, vt nunc ferè fit, ordienda erit curatio, niſi aut viſceris alicuius inflammatio, aut inſignis aliqua obſtructio, aut febris coniuncta fuerit; ſed ſi bilis effuſionem illam in fieri tantùm, atque nondum perfectam eſſe contingat; primùm atque ante omnia facultatem illam roborabimus, deinde per pharmacum humorem peccantem ſubducemus, atque acrimoniam bilis quoad fieri poterit refrenabimus; poſtea ſi veſtigia aliqua profuſionis illius ſupereſſe videbimus, reliquias illas, aut diureticis, aut ſudorem elicientibus euocare ſtudebimus: quod ita fieri debere cognoſcet is qui veterum, præſertim Græcorum, ſcripta legerit. Galenus ſiquidem libro De locis affectis quinto: Quibus citra febrem, inquit, morbus regius accidit, vrgente in dextera præcordiorum parte grauitatis cuiuſdam ſenſu, iis omnibus aperiens (vt ſcitis) obſtructiones, & cibis, & potibus, & medicamentis extenuantibus, deinde medicamento quod bilem educere poſſit exhibens, eorum plurimos vna die ſanitati reſtituimus: qui verò purgatione liberari non potuerunt, iis rurſum valentiore ad aperiendum data potione, medicamentum quod valentiùs purgaret exhibui; ſic deinde ſub finem purgationis, vel cærulea, vel flaua bilis cum acri mordacitate ſecernebatur. Quo loco Galenus abſolutam ictericorum citra febrem, etiam cum grauitatis in dextera præcordiorum parte, ſenſu, curationem fieri cõtendit, citra ſanguinis miſſionem aperientibus

tibus obſtructionem & cholagogis. Nec obſtat auctoritas Aëtij, qui in auriginoſis duo remedia maximè principatum obtinere aſſerit, ſectionē videlicet venæ, & purgationem: nam idem ex Ruffi auctoritate, purgationem magis propriam, ac familiarem huic morbo eſſe dicit: Sed & neque quamuis eidem conuenire, verùm fortiorem tantùm; Ob ventris enim ſiccitatem, imbecilliores, inquit, in ipſis inefficaces cognoſcuntur: quare & ante purgationes deoppilantia exhibet, &, ſi fieri poteſt, pharmaca ſumpturis calidum lauacrum præparari conſulit. Adhac Actuarius, quamuis febres, inflãmationesq́; ſanguinis miſsionem per ſe requirant in arquato febri coniuncto, non ſemper ſanguinem detrahit; ſed tum demum quando nihil ſit quod eandem tardare poſsit: Iis enim » qui arquato corripiuntur, inquit, ſi quidem adeſt febris, » tenuem victum imperare, puta intubum tum ſatiuam, » tum erraticam, aluum enemate eluere conuenit; & niſi » aliud obſtet, ſanguinem modicũ demere. Quò reſpiciens » Aëtius, non eam quæ confertim fit ſanguinis miſsionem laudat, verùm quæ per vices, & particulatim obitur, ne videlicet deſtituantur viribus ægri. Rectè igitur fecerint noſtræ profeſsionis viri, ſi arquato correptos curaturi, expendant inflammationis, obſtructionis, ac febris magnitudinem cum ipſa bilis profuſione, &, ſi quidem inflammatio, aut febris admodùm vrgeat, & ſanguis abundare videatur, tantũ ſanguinis detrahi curent, quantum pro tẽpore vires ægri ferre poſſunt, ac deinde aluum enemate ſollicitent, vt videlicet inteſtina mordendo, atque irritando humores ad cutis ſuperficiem delatos, ad illa retrahat ac reuellat. Qua ratione & ſtatim in principio, ſi quando propter virium imbecillitatem non ſatis tuta ſit ſanguinis miſsio, rectè adhibebitur clyſter: nam præter-

præterquam quòd reuellit, obſtructiones etiam aperit; & dum excrementa expurgat, ſpiritum faciliorem facit. Quòd ſi, vt iam antè eſt dictum, nec febris, nec inflammationis inſignes aliquæ notæ ſubſint, ab incidentibus, atque robur affectæ particulæ addentibus curationẽ auſpicabimur; atque diætæ virium refocillatrici intenti erimus, vt vis illa diſcretiua roboretur. Quam methodum etiam obſeruare conueniet, ſi obſtructionis, aut inflammationis leues tantùm notæ ſubſint, citra ſanguinis copiam. De arquato verò qui decretoriè febrem ſequitur, vt qui morbum ſoluat, non eſt quod dicam; hic etenim facilè curatur, vt auctor eſt Galenus, dulcium aquarum balneis, ac olei diſcuſſorij affrictu: quæ duo remedia etiam conueniunt ad diſcutiendas morbi reliquias ad ſuperficiem cutis delatas: nam, vt docet Actuarius, ſimulatque interna fuerint repurgata, ſi quod planè nondum ſit diſcuſſum pallidum ad ſuperficiem defertur, id balneis & ſudorem mouentibus eſt diſcutiendum. Cornelius Celſus, atque Aëtius etiam geſtationes, & exercitia frictionesq́; diſcuſſorias adhibent.

NONNVLLA IN SACRA SCRIPTVRA *quæ artem medicam concernunt, ad naturales rationes vtcunque reduci poſſe.*

Ad Dominum Theodorum Soupyrgum. LIX.

DVM *accuratiùs hominum ſtudia excutio, ac tacitus quodammodò mecum perpendo, mi Theodore, quatuor vniuerſim ea eſſe comperio: primum ac optimum eorum eſt, qui nullius addicti iurare in verba magiſtri, rationem ducem ſequuntur; alterum ab his longè diuerſiſſimum eſt; conceptam enim ſemel opinionẽ mordicus tuentur, ac piaculi loco ducentes ab eâdem vel latum*

tum vnguem diſceßiſſe tanquam pro aris & focis dimicant. Tertium, eorum eſt qui ſimiæ in morem ſibi applaudunt. Quartũ ab his quammaximè diſsitum eſt, vt qui quũ per ſeſe nihil præſtare poßint, aliena fuci in morem decerpunt, atque calumniantur, ac in aliorum vitiis tam cernunt acutum quàm aut Lynceus aut Serpens Epidaurius, nõ videntes interim manticæ quod in tergo eſt: in quo albo ego rigidos quoſdam cenſores, ne dicam ſycophantas, collocare ſoleo, qui in id tantùm vniuerſam vitæ periodon inſumunt, vt nominum ſtudioſi eſſe videantur, vt ſi quid nõ ſatis appoſitè, aut dilucidè enunciatum ſit, habeant quod reprehendant, & vitio dent; quemadmodum mihi facere videntur, qui Galenum noſtrum notant, quòd dicat; naturam tanquam opificem quendam maximam habere prouidentiam æqualitatis, & proportionis in conformandis, & conſtituendis animalium corporibus, quaſi quicquid id eſt noſtri, ceſſante Deo tanquam ocioſo atque ſingula velut è ſpecula quadam ſublimi ſpectante naturæ commiſſa ſint, atque naturæ tanquam Deo cuidã corporis noſtri fabricam debeamus: Quod vt à Galeni placitis alieniſsimum eſt, (vt qui naturam à cœleſtibus multis modis ſuperari arguit, atque eandem pro totius corporis temperie, atque conſtitutione accipere ſolet, & qui Dei immenſam illam bonitatem admirabundus prædicare conſueuit, dum naturæ iuſtitiam, prouidentiam, atque admirabilẽ quandam artem prædicat,) ita talibus ſycophantis, qui corticem deguſtare ſolummodò conſueuerunt, longè digniſsima calumnia eſt. Siquidem ſi rebus potiùs quàm nominibus intenti noſtræ religionis oracula cum Galeni theorematis contuliſſent, mea quidem ſententia non inueniſſent quod tanta reprehenſione dignum cenſendum erat. Nam ſi-

cuti

cuti Galenus noſter, ſicut volunt, omnia naturæ fert accepta; ſic quoq. ſacræ literæ, ea quæ artem noſtram concernunt, etiamſi à natura quammaximè diſſita, atque aliena eſſe videantur, ac miraculi (ſicut ſunt,) plena, tamen ſi diligentiùs expendantur, ad naturæ leges nonnihil accommodata videbuntur. Nam vt ab ortus noſtri principiis ordiamur; Deus, quemadmodum habet liber Moyſi creauit hominem non ex ſimplici terra, ſed ex limo eiuſdem, tanquam maſſa quadã quatuor in ſe inuicem commixtorum elementorum, quæ ad totius generationem requiri conſtanter affirmant, qui naturæ principiis inſiſtunt. Adde quòd & Moſes ipſe, vt ſentit Tertullianus, non alia ratione cibos diſtinxiſſe videtur, quàm medicinæ beneficio. Præterea quòd Raphaël Tobiæ iuniori iniunxit vt fel ceti acciperet, fore enim vt eodem cæcitas patris diſcuteretur ac ſanaretur: & id quoque vt eſt miraculi plenum, ſic cum philoſophica ratione communionem quandam habet; adeò vt nobis viam quandam curandi caligantes oculos aperuiſſe videatur: Solent enim medicamentis quæ ad oculorum acumem componuntur, fel partim hyænæ, partim perdicis, partim galli, aut alterius cuiuſpiam animalis admiſcere, idq; aut cum melle, aut alio quopiam pro vſus exigentia attemperare: eſt nanque fel ad oculorum ſuffuſiones, vtpote quod vim acrem, & excalfacientem obtinet, accommodiſſimum; nam, quemadmodum docet Galenus, animalium quorundam ſingulariter bilis à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & ſuffuſionũ initia digerat, velut piſcis quem vocant callyonymon, hyænæ, ſcorpij marini, ſylueſtris capræ, tum galli, tum perdicis. Quid de humani generis aſſertore Ieſu Chriſto dicam, qui ſeminecis plagis infundi iuſſit oleum & vinum, medicamen non ſolùm

recentibus

recentibus vulneribus, ſed & hulceribus accommodiſſimum? oleum ſiquidem dolorem lenit, & diſcutiendi vim habet; vinũ abſtergit nonnihil, glutinandi facultate præditum eſt, & ad penitiores partes facilè penetrat: quod ſi auſterum quoque & nigrum fuerit, affectas partes inflammari non patitur: quare Hippocrates, Vlcera, inquit, nulla madefieri debent præterquam vino. Hinc quoque Paulus Ægineta vinum temperatum oleo pro ſanguine reprimendo vulneribus ſtatim admouet. Quid quòd Lucæ 16. in parabola illa diuitis epulonis, canes ſcribantur linxiſſe Lazari vlcera? númne & illud cum phyſica ratione communionẽ habet? quando apud omnes in confeſſo ſit canũ linguis medicamentoſum quid ineſſe, ita vt lingendo curare vulnera credantur? Quid demum de cæci nati oculis ſmegmate ex ſputo & terra illitis cenſebimus? quod vt eſt diuinitatis plenum, & inter miracula maximum cenſendum, ita tamen cum naturæ arcanis coniunctum eſſe voluit natura parens, vt non prorſus extra limites eiuſdem poſitum videri poſſit: Siquidem ſi terrarum varias differentias, atque facultates expendamus, videbimus ex iiſdem nonnullas eſſe quæ ocularіis medicamentis conueniant, & quæ iam longo vſu in collyria recepta ſint: Ochra enim vim habet diſcutiendi exedendiq́; reprimit igitur ſupercreſcentia vlcera: Ampelites ſiccat, & diſcutit egregiè citra eroſionem: Cimolia mixtæ facultatis eſt, refrigerantis dico, & diſcutientis: Selinuſia, & Chia abſterſoriam facultatem moderatam habent, vlceribus carnẽ, & cicatricem inducunt: Samia glutinans & viſcoſa eſt, iis quæ lenire oportet accommodiſſima; quare ad epiphoras, & vlcera oculorum eandem cum melle non citra leuamen miſcere ſolent. Quòd ſi quis mellis loco ſaliuam hominis ſani, vt

quæ

quæ diſcutit & abſtergit, & ſugillata deleat, accipiat, non aberrabit à vero. Memoriæ etenim proditum eſt Veſpaſianum Imperatorem ſaliua cæci oculis illita, viſum eidem reſtituiſſe. Adeò vt etſi longè hæc petita videantur, non poſſimus tamen negare, quin cum phyſica ratione aliquid cõmune habeant. Quæ ideò dicta nolim, quòd Chriſti humani generis aſſertoris miracula, aut diuinitatem eleuare cupiam, eaq; quæ ſupra omnem humanitatem aſſurgunt, ad leges naturæ reducere coner, (quod vt ſupra humanas vires eſſe iudico, ita non citra maximam impietatis notam fieri poſſe certò ſcio:) Verùm vt oſtenderem omnia quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe; nec quicquam eſſe tam paruum, aut minutulũ, quod ſuo careat myſterio. Siquidẽ & illud Iacob Patriarcha Geneſis quadrageſimo capite, quum dicit filiis ſuis, Deducetis canos meos cum dolore ad inferos, etſi per ſe planum, atq. quibuſuis obuium videatur, habet tamen neſcio quid latentis energiæ ac reconditæ philoſophiæ, quòd canos potiùs quàm caluitium dixerit, quum caniciem æquè ac caluitium ſenibus familiarẽ eſſe ſciamus: verùm ſi quis caluitij, & canorum cauſſam diligentiùs examinet, comperiet ſacrã ſcripturam hîc proprietatem quandam ſermonis cum phyſica coniunctam ratione obſeruaſſe. Certũ etenim eſt ob extraneas cauſſas caluitium ſæpiſſimè oriri; nam immodicus vini vſus, eiuſdem origo eſſe ſolet; ac propterea caluus Bacchi comitatui nunquam defuiſſe olim credebatur; propter cerebri videlicet detrimentum quod vini immodicus vſus affert. Prætereà qui immoderata vtuntur Venere, ante tempus caluescunt; ſicuti in Problematibus auctor eſt
» *Ariſtoteles: Nam quicunque, inquit, ex pilis congenitis*
» *ætate iam prouecta non creſcunt, hi omnes libidinis vſu*

immo-

immoderatiore decidere conſueuerunt. His accedit, quòd aliqui vitio ſui calueſcant; ſicuti articulorum dolores & pleraque aliæ affectiones, à parentibus ad liberos deſcendunt: quod quidem vt cum canicie quandoque commune habet, ita rarius eſt; cani ſiquidem ſicuti candidi ſunt, ita humoris ex quo originem ſumunt, colorem imitantur: fumi namque ab excremento pituitoſo, quod in ſenibus, vtpote frigidioribus debilioribusq́ꝫ, & concoctricem facultatem imbecillem habentibus, copioſiſſimum eſt. Prætereà qui cani quid à natiuitate habent in capite, etiam cuticula illis ſumma vbi cani ſunt, reliqua albior exiſtit, quum illic albiſſima ſit humiditas. Iam quid de ſeptenario dicam numero, cuius apud Mathematicos ac medicos ſumma ſemper habita eſt ratio? ſiquidem illi ſecundam Lunæ figuram in quadrangulo mundi ſchemate, ſiue aſpectu quadrato, hoc eſt die ſeptimo collocant; iſti verò inter decretorios dies diem ſeptimum reliquis validiorem habent, vt latè poſt Hippocratem Galenus. Sacræ etiam literæ ſummè eundem commendatum habuerunt, adeò vt eundem ſatisfactioni, & emendationi ſufficere poſſe putarent, ſicuti rectè admonet Euſebius Emiſſenus. Septem enim diebus filij Iſraël azymis veſcebantur: & leproſus quãdo mundatur, & vir quando gonorrhœam patitur, ſeptem diebus ſeparatur: Separatur quoque ſeptem diebus mulier menſtruata; eadem etiam ſeptiduo immunda erat quando pariebat: Naaman prætereà ex præcepto Eliſei ſepties immergitur in Iordanem: & ſacerdos offerens ſacrificium, tingens digitum in ſanguine, ſepties illum contra dominũ ſpargit. Quæ quum breui hac & confuſa quodammodo demonſtratione clara aliquo modo ſint, ſpero deinceps blaterones iſtos caninos ſuos dentes cohibituros nonnihil, atque meliùs

aliquantulum ſenſuros de viro optimè de humano genere promerito.

DE MANDRAGORÆ MALO *Rubenitico.* LX.

DIV *multumq́; me ſuſpenſum tenuit Rubeniticum illud mandragoræ malum, Geneſis trigeſimo capite. nam quum iam antè aſſeruiſſem nonnulla eſſe in ſacris ſcripturis quæ ad naturales rationes vtcunque reduci poſſent, hoc certè quoquo verſum me verterem, nihil prorſus cum phyſica ratione commune habere videbatur; adeò vt non ſemel in animum induxerim meum, aliud quid per Hebraïcum illud* Dudaim *ſignificari, quàm vulgo cognitam mandragoram, quam à bifida radice, quòd veluti duas tibias cōſtituat, anthropomorphon vocauit Pythagoras*: Nam *quantumuis falsò nonnulli eandem circeam, aut circæum vocatā exiſtiment, à Circe venefica, quòd videlicet amorem eiuſdem radix conciliet, non hinc ſtatim inferendum erit, pomis eandem, quæ radicibus ineſt, veneficam inſitam virtutem; quum videamus fructus ipſos non rarò viribus differre cum radicibus: nam & ipſius mandragoræ radicis cortex, quum ſit valentiſſimus, non tantùm refrigerat, ſed & deſiccat; poma etiam præterquam quòd refrigerent, caliditatis quoque cuiuſdam & humiditatis participia ſunt, vt auctor eſt Galenus. Neque veriſimile eſt Racheli philtris quibuſdam amatoriis, quibus virū ad ſe alliceret, opus fuiſſe; quando conſtet, eandem viro ſuo adeò fuiſſe adamatam, vt Liam eidē poſthabuerit: nam ſcriptura dicit, Tandemq́; potitus optatis nuptiis amorem ſequentis priori prætulit. Quare inducor omnino vt aliud ſuſpicer eſſe* Dudaim *illud Rubeniticum quàm mandragorā, quum omnes ad*

vnum

vnum mandragoræ pomorum ſpecies ſomnũ concilient, atque vſum rationis non rarò etiam intercipiant, niſi cui placeat per Dudaim *intelligendum fructum illum mandragoræ, quem Theophraſtus libro ſexto De plantarum hiſtoria ſub finem ſecundi capitis, ſucci vinoſi eſſe ſcribit, dum dicit,* ἴδιος δὲ καὶ ὁ καρπὸς τοῦ μανδραγόρου τῷ μέλας τε καὶ ῥαγώδης, καὶ οἰνώδης εἶναι τῷ λυμῷ. *hic etenim fructus quum vinoſus ſit, à natura noſtra non videtur omnino alienus eſſe, atque adeò multùm differre à reliquis tribus mandragoræ ſpeciebus ſeu differentiis à Dioſcoride recitatis. Ac niſi fructum hunc nigrum eſſe diceret Theophraſtus, induceret omnino vt crederē eundem eſſe cum eo quem quidam hodie mala inſana, aut melanzana vocitant, aliiq́ amoris poma appellare maluerunt: vel quòd propter elegantiã, & pulchritudinem digna ſint quæ amentur, vel quòd Venerem ſtimulent ſi edantur; quod ideò præſtant, quia flatus gignunt: quare ſi eiſdem (ſicuti hodie fieri videmus) pro condimento, piper, ſalem, oleumq́ addiderimus, non ingratum palato ferculum præparauerimus. neque dubium eſt, quin ij qui gonogeum, quaſi genituræ ſobolem mandragoram vocatam volunt, hanc de qua nobis ſermo eſt, intellexerint: Ac proinde quoniam certò conſtet, tam Rachelem, quàm Liam prolium procreandarum maximè fuiſſe ſtudioſas; veriſimile eſſe Rachelem à ſorore Lia petiiſſe partem mandragorarum à filio Ruben in agris inuentarum, atque adeò ne re deſiderata fruſtraretur, vltrò obtuliſſe Liæ noctis inſequentis concubitum cum communi marito Iacob. Siquidem quum Lia petenti mandragoras reſpondiſſet, Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filij mei tuleris? reſpondit Rachel, Dormiat tecũ hac nocte pro mandra-*

O 2 *goris*

gorũ filij tui,quaſi parũm illi eſſet nocte illa mariti congreſſu carere,modò mandragoris, non ad palati delicias, ſed ad ſeminis prolifici vberiorem generationem frui poſſet; vt ita tandem auſpiciis Dei conciperet,& pareret. Per Dudaim *igitur illud Hebræorum,quod omnes ad vnum interpretes mandragoras tranſtulerũt,Theophraſti hanc mandragoram intellexero:quod ni faciamus,ingenuè fateor me ignorare ad quod ſimplex referendum ſit,quum certum ſit permulta olim fuiſſe, quæ hodie vel ignorantur vel certè non habentur.*

DE RATIONIS AC INTELLECTVS *ſede*, ad præclariſſimum medicum D. Petrum Foreſtum. LXI.

ACCVSANDVS *meritò videar, magisq; mihi placere quã Peleus in machæra, mi Foreſte,quòd ab omnibus medicis iamdudum receptam,ac variis argumentis multisq; locis ſtabilitam ab Hippocrate,Platone, & Galeno opinionem, in dubium vocare auſim: verùm ea vis ineſt rebus egregiis,vt quo ſæpius ac preſſius inſpiciantur,hoc magis ac magis placeant; &, ſicuti ait Horatius,* —— quæ ſi propiùs ſtes,

Te capient magis, & decies repetita placebunt:

Quapropter ſpero, qui hæc audient, æquiores aliquanto futuros,dũm conſiderabunt me in amœniſſimo atque ſaluberrimo ſacrarum literarum campo verſantem,ſingula aut cum artis noſtræ theorematibus conferentem,aut ſi quandò artis noſtræ coryphæi ſecus quàm naturæ artifex, ac generis humani conditor ſenſerint, in dubium vocantem,quemadmodum nunc facere inſtitui: ita tamen,vt hæc nihil pro vero affirmare velim,verùm tuo, aliorumq; exactiſſimo iudicio,quid de eo ſentiendum ſit, relinquere.

relinquere. Receptum igitur à multis vſque ſeculis à medicis eſt (vt Galenus libro tertio De locis patientibus auctor eſt) rationalem animæ vim in cerebro; virilem verò, atque iraſcibilem, in corde; concupiſcibilem in iecore ſitam eſſe: nam fatuum aiunt cerebrum non habere; timido, & puſillanimi cor deeſſe; Tytio verò iecur ab aquila eroſum non ſolùm poëta, verùm etiam ſculptores pictoreſq; fingunt. Ab hoc contrarium Chryſippus, Archigenes, atque Stoici ſenſerunt, dicentes rationis ſedem eſſe cor, nam cordatos ſapientes, & prudentes dicimus: vnde Cicero in Tuſculanis quæſtionibus hominem egregiè cordatum pro prudente dixit. & cerebroſos appellamus nimium propenſos in iram. Xenocrates Platonis diſcipulus menti nullum peculiarem locum aſſcripſit, ſed eandem per totũ corpus ſparſim diſcurrere auctor eſt. Atqui contra hos varijs argumentis, epichirematibuſq; diuerſis locis agit Galenus, atque eò rem deduxit, vt apud omnes in confeſſo ſit, eum illos prorſus ita conuiciſſe, vt nemo hactenus contrà hiſcere auſus fuerit. Verùm ſi quis aſſertoris noſtri Ieſu Chriſti, qui ipſa veritas eſt, cum Chryſippi ſcriptis conferat, non videbitur Chryſippus omninò aliena à ratione dixiſſe, quando rationis ac intellectus ſedem cor conſtituit, dum dicit: Rationi conſentaneũ eſt, id in quo ſignificationes fiunt, & ex quo ſermo procedit, præcipuam animæ partem exiſtere: quandoquidem non alia eſt ſermonis origo, alia mentis; neque alia quidem vocis, alia ſermonis; neq; ſimpliciter omniũ alia eſt vocis origo, alia animæ pars præcipua. His autem concorditer mentem definientes, aiunt eam originem eſſe ſermonis. In vniuerſum enim vnde ſermo emittitur, illic & oportet ratiocinatricem fieri, & intelligentias & meditationes dictionum, quem in modum dixi. Hæc autem euiden-

„ *ter circa cor fiunt; quum & vox, & ſermo per aſperam*
„ *arteriam, quam pharynga etiam dicunt, emittatur. Huc vſque Chryſippus ille non prorſus aliena à Chriſti enunciatis Matthæi decimoquinto capite, & Marci ſeptimo*
„ *dixiſſe videtur: nam illic, Quæ procedunt, inquit, de ore,*
„ *de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; de corde*
„ *exeunt cogitationes malæ, homicidia, fornicationes, fal-*
„ *ſa teſtimonia, furta: Hîc verò, ab intùs enim de corde*
„ *hominum malæ cogitationes procedunt, &c. Quæ quàm cum Chryſippi dictis conueniant, cuiuis abundè perſpectum arbitror: adeò vt, (ni me moueret ſenis Coi, & Galeni auctoritas, iamq́; à multis vſque ſeculis ab omnibus philoſophis recepta opinio) non vererer rationis ſedem cor ſtatuere, idq́; potiſſimùm quòd Lactâtius ille Firmianus libro ſuo De opificio Dei, dixerit mentis rationē incomprehenſibilem eſſe, quum ipſa mens quo loco ſit, aut*
„ *cuiuſmodi, homini incognitum ſit: Nam ſiue in capite*
„ *mens habitet, ſiue in pectore, inquit, poteſt ne aliquis*
„ *comprehendere quæ vis rationis efficiat, vt ſenſus ille in-*
„ *comprehenſibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo*
„ *ſanguine bipartito qui eſt incluſus in corde? ac non ex*
„ *ipſo colligat quãta ſit Dei poteſtas quòd animus ſeipſum*
„ *non videt, aut qualis, aut vbi ſit: nec ſi videat, tamē per-*
„ *ſpicere poſſit quo pacto rei corporali res incorporalis ad-*
" *iuncta ſit? Quare veriſimile, imò certum prorſus, eſt, ne-*
" *minem exactiùs noſſe quàm ſedem vnicuique facultati*
" *ſtatuerit natura, quàm, qui hominem, atque adeò*
" *ipſam naturam finxit ſcrutans corda, & renes, Deum.*
Neque obſtat quòd memoria oblæſa capiti tanquam ſedi primariò affectæ remedia applicemus (quemadmodum ante nos annotauit Diuus Euſebius Emiſſenus) quando
" *veriſimile ſit (vt idem ait) calorem naturalem qui pul-*

ſuum

ſuum vehiculo per totum corpus ex corde diffunditur, in »
infirmo capite aliqua re nobis incognita aliquando cor- »
rumpi; cuius corruptione poſtquam cor tangitur, & »
mens, & ratio in eo obſcuratur, vnde fit vt ſanato capite »
corruptio tollatur, & mens, & ratio conuertatur. Quæ
Emiſſeni ſententia neque abſurda neq. à ratione aliena
omnino eſſe videtur, quando pluſquàm tritum ſit, quòd
per apophyſes illas, ſeu productiones, puta neruos, venas,
arteriasq́; quibus membra principalia copulantur, ac
connectuntur, cor cerebro, & viciſſim cerebrum cordi, &
ſic de reliquis, affectiones ſuas tranſmittere ſoleant. Nobis
interim ſatis fuit hæc leuiter demonſtraſſe. Tu interim
pro tuo candore reſcribere ne graueris, num tibi hæc aliquid
videar dixiſſe. Vale.

NVM CERTO STATVTOQVE TANTVM *tempore conficienda ſit theriaca:* ad Ioannem Moutonum pharmacopœũ apud Neruios. LXII.

NÆ. D. Hermes Clericus veſter decerpta ex Amyci Bebriciorum Regis ſepulchro lauro Ptolemaïcam litem cõmouiſſe videtur, quando doctiſſimis & exactiſſimis, variorum, atque eorundem præclariſſimorum Medicorum cenſutis, pharmacopœorumq́; Antuerpienſium diligentiſſimo examine non contentus, cum ſuis illis neſciò quibus ſeplaſiariis, vnam rem ex cõpacto agere videtur, non ſecus ac quondam in velabro olearij, dum conceptam ſemel opinionem mordicùs tueri mauult, quàm cum ratione veritatem amplecti. Quis enim, niſi cum ratione (vt habet ille) inſanire malit, viſis excellentiſſimorum medicorum Ioannis Goropij Becani, Ruei, Rapardi, Pantini,

& Dauidis Mauldenſis grauiſſimis & exactiſſimis de theriaces compoſitione cenſuris, quibus ceu appendicem exhibes Antuerpienſium, vt dictũ eſt, pharmacopœorum examen, pedibus in tuam ſententiam non iret? Apud me certè ea loco ſunt Goropius, & Pantinus, vt vel iis ſolis ſubſcribere non erubeſcerem; &, vt quod res eſt fatear, decretum erat tribus tantùm verbis cenſuræ D. Goropij ſubſcribere, niſi Hermes in ſua illa obiectione, Galeni, Aëtij, Actuarij locis aliquot inſtitutam ſuam, non dico, calumniam vſqueadeò vrgeret; qui quanquam à doctiſſimis viris iam antè ventilati & diſcuſſi eſſent, (quanquam is non ſim cui aliquid tribuendum cenſeam,) ne tibi omnino defuiſſe videar, eoſdem auctores reuiſi, ac quod ſatis eſſe putaui, cum iudicio perlegi, in quibus (ita me Deus amet) nihil reperio quod confectionẽ illam tuam aliquo modo reprobare poßit, idq́; potiſſimùm quando tu indefeſſa ſolertiq́; tua diligentia, non deſtitiſti vndiquaque lectiſſimorum ſimplicium copiam corradere, quorum nonnulla etſi per ſe vltroq́; amœniſſimus, ac varietate ſimplicium inſtructiſſimus tuus hortus tibi ſubminiſtrare potuiſſet; malueris tamen ex regionibus quibus vnaquaque optima naſci putatur, eadem accerſere, ne quid eſſet quod aliis calumniæ anſam præberet. Atque id ſanè conſulto; quando Galenus eiusq́; ſequaces id inprimis, & ante omnia ei qui theriacam componere voluerit, curandum moneant, vt optima in ſingulis medicamenti generibus diſcernat, idq́; non ſemel, neque iterum, neque tertiò, ſed ſæpè, vt ea videlicet quæ in vnaquaque regione optima proueniunt eligat; radices inquã non tenues, non rugoſas, ſed intento cortice, plenasq́;: fructus cum ſuis ſurculis præcellentes, vberes & plenam maturitatem conſequutos, ſemina matura, vegeta, ac non ſecus ac de

radicibus

radicibus dictum eſt, cortice non laxo, ſed vtcunque renitente, ſuccos recentes, & temporis ſpacio nondũ exoletos, aut exuccos. Quæ omnia tu diligẽtiſsimè in cõficienda tua theriaca obſeruaſſe videris, dũ ex Græcia daucum, ammios ſemen, dictamnum, atque alia id genus quàm recentiſsima multis impenſis conquiſiueris: Ex Gallia autẽ Narbonenſi mel, ſtœchadem, poliũ, calamenthum, chamædryn, & alia id genus plurima, quibus recenſendis ſi immorari liberet, metas inſtituti noſtri omninò tranſgrederer; quando tribus tantùm verbis aliorum calculo ſubſcribere decreuerim, atque id liberè profiteri, Corpus illos ſine anima, & cerebrum ſine mente habere, qui theriacam illam tuam, theriaces nomine non magis cenſendam arguunt, quàm cadauer, aut truncum, hominis appellatione. Siquidem illa quæ de inſolatione vſque adeò vrgent, parùm aut nihil ad rem faciunt, ſicuti clariſsimè ab aliis diſceptatum eſt: quando conſtet Galenum atque eo poſteriores omnes dixiſſe non omnino neceſſariam, ſed meliorem tantùm inſolationem. Sed &, ſi quid mihi ab iiſdem cum ratione diſſentire liceret, vt citiùs ad iuſtam ætatem, & maturitatem perueniret theriaca, brumale tempus præ cæteris ad eam conficiendam opportuniſsimum cenſuero, quando poſt diligentem ex vſu artis commixtionem, ac triturationem, ſtatim aut in vinaciorum aceruum, aut fimũ equinum (quem ventrem equi appellant chymiſtæ) aut ſcobem corticum qua coriarij vſi fuerunt, aut caldarium aliquod reponi poſsit, vt videlicet id quod anni tempus nobis denegat, arte ſubſtituamus, atque incrementum (vt ſic dicam) theriaces promoueamus: Hoc etenim certò affirmare auſim, plurimum ad theriaces ipſius maturitatem collaturum; atque id effecturum, vt ante reuolutum annum, non citra maxi-

mum commodum in vſus humanos commodè applicari queat; præſertim quando adſcititio hoc calore, via quædam ſternatur verno tempori ad ipſius confectionis iuſtam fermentationem, quæ alioqui irrita prorſus, & nullius momenti futura ſit. Perge igitur, mi Moutone, eo quo cœpiſti calle florentiſsimæ Neruiorum Reipub. vſui eſſe: obſtrepat quantũ velit tragicus ille Theocrines. Vale, Goudæ ad octauum Cal. Maias 1571.

PRÆTER RATIONEM ET ARTIS VSVM *façere eos qui medicamenta actu tepida ſemper adminiſtranda cenſent.* LXIII.

QVI hodie receptos abuſus corrigere, atque è medio tollere conãtur, mi Philiatre, cum hydra quadam negocium mihi habere videntur: nam ſicuti quondam huius vno præciſo capite, alia protinus pullulaſcebant, atque enaſcebantur; ita ſublato, aut ſaltem demonſtrato vno errore, alius ſtatim ſeſe offert, non ſecus ac fallacia vna, aliam trahere aſſueuit: Siquidem poſtquam de concoquenda materia ante purgationem, aliiſq́; non contemnendis erroribus qui in pharmacorum adminiſtratione committebantur, abundè dictum eſſet, à nemine, quod ſciam, animaduerſus is abuſus eſt, qui in medicamentorum exhibitione committitur, dum omnes quotquot ſunt hodie vno ore eadem actu tepida propinanda eſſe clamitant, diu receptam conſuetudinem, atque in arte noſtra coryphæorum auctoritatem potiore loco habentes quàm rationem, ad quam omnes actiones noſtræ tanquam ad Polycleti regulam reducendæ ſunt: quam ſi ducẽ ſecuti fuiſſent, didiciſſent illa modò frigida, interim egelida (voco autem egelidum, quod medium quodammodo inter frigidum & tepidum ſit) aliquando tepida, nonnun-

nonnunquam etiam ſubcalida adminiſtrare. Nam quantumuis concedamus, tepida reliquis citiùs vim ſuam exerere, atque ſubſtantiæ corporis noſtri aſsimilari ob temperiei ſimilitudinẽ, quam cum calido innato habent: atque medicamentum ipſum, quantùmcunque poteſtate calidum ſit, non antè humorem ſibi familiarem attrahere, quàm adiutum calore naturali actu calidum redditum ſit, non poterimus tamen infitiari, quin qualitatum differentiæ variandæ ſint, pro morbi, temporis, ac conſtitutionis diſcrimine: Siquidem ſi Galenus vndecimo methodi therapeut. frigidam, quæ non ſolùm actu, ſed & potentia talis ſit, & quam viſcera obſtruere idem auctor eſt, ipſius febris perpetuum remedium eſſe docet, & ſi frigidam natationem nõnunquam admittit, (Siquidem »
ſi cunctæ vires valentes ſint, inquit, & febres ardentiſsi- »
mæ, & concoctionis notæ planè euidentes; frigidam ho- »
mini audacter dare debebis, conſtat nanque hominem »
talem ſenem non eſſe; ex quo omnes virtutes, & valen- »
tiores eſſe propoſuimus: quòd ſi etiam bona corporis habitudine ſit, tum ſtatus cœli etiã calidus & ſiccus, etiamſi in frigidam natationem hunc dimittas, haud quaquam lædetur;) cur nos verebimur febrientibus, aut æſtuante ſtomacho, aut calida alioqui intemperie laborantibus (vt interim anni conſtitutionem calidam & ſiccam omittam) medicamenta actu frigida ſubminiſtrare; frigidis contrà morbis, frigidaq́; intemperiei; & frigida anni conſtitutione ſubcalida, aut tepida, niſi flaccidior & ad vomitum propenſior ſit ſtomachus, exhibere? nam quòd calida & frigida robur ventriculo addunt, notum eſt; ac quòd tepida inter res quæ alienæ ſtomacho ſint cenſeantur, vt inter multos vnum referam, Cornelius Celſus teſtatum reliquit, quòd nimirum illa cogendo ventriculum roborent,

roborent, hac exoluendo eundem nauſeabundum, & ad vomitum procliuem reddant: Quod non latuit Ioannem Theologum in ſua Apocalypſi, dum dicit, Vtinam calidus eſſes, aut frigidus; verùm quia tepidus es, euomam te de ore meo. Hinc fit, *vt dum medici noſtri, tanquam à peſte quadam ab his abſtinendum moneant, quæ ſtomachi ſubuerſiones pariunt; præſertim vbi medicamentis purgantibus opus eſt, (aſſolent etenim catharticis odorata & os ventriculi roborantia, atque ea quæ nauſeam prohibent, admiſcere,) à ratione atque adeò methodo ipſa alienum nihil eſſe cenſeam, quàm conſueto hactenus more medicamenta actu tepida propinare, quòd, vt diximus, tepidorum vſu flacceſcat ſtomachus, atque quodammodo exoluatur. Quod præcauentes veteres illi, Hippocrates nimirũ atque Galenus, à medicamenti purgantis exhibitione cremorem ptiſanæ ſubminiſtrare conſueuerunt; vt ſi quid ab aſſumpto pharmaco inter tranſeundum ventriculo adhæſiſſet, abſtergeretur, ac deorſum traheretur: quod faciendum ſuadet Galenus antequàm medicamentum vim ſuam exeruerit; nam vbi purgatio fieri inceperit, à ptiſanæ ſorbitione abſtinendum dicit, timens ne purgantis medicamenti actio diſſoluatur: Cui non abſimilis eſt Auicennæ methodus, qua poſt ſumptam pharmaciam egelidam, hoc eſt modicè tepidam ſubminiſtrat. Vomitoria autem ſumpturis, tepida actu eadem exhibenda ſunt, quòd, ſicut dictum eſt, citiùs & faciliùs energiam ſuam exerent.*

NVM VINI POTIO IEIVNIS SEMPER *noxia ſit:* ad Hectorem Mithobium. LXIV.

VVLGATVM admodum, atq; tritum hodie dictum eſt, mi Mithobi, *A poculo incipe cœnam:* quod

quod etſi medicorum ſchola,ſicuti noſti,ad cibos liquidos & qui facilè ſubſidant,ac digerantur, referendum conſtanter affirmet; non deſunt tamen qui aliò retorquere nituntur, poculi nomen ſtrictiùs accipiendo, & pro eo quod bibimus tantùm interpretando:idq; eò potiſſimùm, quòd cœna olim,non vt nunc, pro verſpertina cibatione acciperetur,verùm pro prandio:prandij enim nomen pro prandiolo,aut ientaculo hodie dicto vſurpabant, & quæ veſperè fit,refectionem veſpertinam appellabant. Ac proinde quando olim frugalitas, ac ſobrietas in pretio eſſet, adeò vt ientaculi nullus, aut perquam rarus vſus fuerit; veriſimile fuiſſe quòd prandium, aut cœnam dictam ieiuni accederent,atque eandem ad diluendas in ſtomacho relictas ſordes, à potatione inchoarent: quod & Tiberij Claudij auctoritate ſtabiliunt, qui inſtituiſſe fertur, vt ieiuni biberent, atque vt potus vini cibos præcederet: & celeberrimi, fatidiciq; vatis Homeri teſtimonio confirmant,qui ſcribit Helenam vinũ ante cibos ſubminiſtrare ſolitam ſomni conciliandi & adipiſcendæ ſecuritatis ergò. Qui quidem,vt Comici verbis vtar, neq. nihil,neque omnia mihi dixiſſe videntur, quum ſit quando non citra maximam noxam ieiuno ſtomacho ſumatur vinum, & quando non citra præſentiſſimum cõmodum eodem vtamur; adeò multum intereſt quibus, & quando aliquid demus,quando tam aqua quàm vinum ſi importunè exhibeatur,inſaniam, atque dilirium in febribus faciant; aqua enim exhalationem vaporum prohibens,putredinem,febresq; adauget,vinum contrà ſuo calore ad ſuperiora, atque cerebrum ipſum rationis ſedem fertur, ac penetrat. Quo fit,vt (quum vinũ ſi exiguum bibatur,ſalubritatem parere: ſi modicũ,facundiã conciliare;ſi immodicum,corpori & menti obeſſe dicatur)nos aliquãdo

prodeſſe

prodeſſe aſſerere non vereamur, ſi ante reliquos cibos ſumatur: ſicuti nonnullis plurimum nocere; nam quibus fluctuat, ac nauſeabundus eſt ventriculus, & quibus mediocris cruditas moleſta eſt, ſi merum vinum, & ſincerum, & quod ſua natura auſterum eſt, aut nigrum alioqui craſſumq; citra manifeſtam aliquam aſtrictionem, aut etiam quòd ſubſtantia tenue ſit, & fuluum, exhibueris, à vero nihil aberraueris: hoc etenim Galeno quarto De ſanitate tuenda auctore ad ſucci bonitatẽ, & concoctionem facit. id autem quod merũ & ſincerum diximus, cùm excalfaciat, facilè in membra diſtribuitur, ſtomachum adiuuat; appetentiam ciborum inuitat, vires alit, robur auget, ſomnum conciliat, & commendat colorem: Nigra autem craſſaq; citra manifeſtam aſtrictionem vina, Galenus quinto ſanitatis tuendæ libro, quòd in ventre nõ admodùm diu morentur, & quòd vrinas moueant, ante cibos dari auctor eſt. Adde quòd ſi quis obeſior aſcititiam pinguedinem victus ratione, aut alio quouis modo corrigere ſtudeat; id meliore compendio vix effecerit, quàm ſi ieiuno ſtomacho vino aſſueſcat: Siquidem vt auctor eſt Corn. Celſus capite tertio libri primi, vini non præfrigidi potio ieiuno in conſuetudinem adducta extenuat corpus. Nec eſt quod hæc reformidemus aut paralyſin, aut nephritin, aut alioqui mentis perturbationem aliquam; quando iſta tantùm in metu ſint, quoties aut immoderatiùs iiſdem vtamur, aut totius corporis conſtitutio iuſto calidior ſit, aut ſtomachus ipſe, atque adeò primæ venæ crudis, ac tenacibus, nec adhucdum probè concoctis humoribus repletæ admodùm, atque infarctæ fuerint; aut quoties renum, aut neruorum debilitas aliqua ſubeſt: tum enim vinũ vt eſt oxyporum, materiam crudam adhuc, & necdum concoctam ſecum ad partes

imbe-

*imbecilliores rapit, atque inibi cauſſam nouo morbo ſuppeditat. Quare alienius nihil à ſanitatis regimine eſſe cenſeo, quàm chymica induſtria ſublimatis vinis ieiuno ſtomacho ad ſatietatem ferè, idq́; frequenter vti. Si quis tamen præter conſuetudinem pridiana grauatus crapula, vini moleſtias leuare ſtuduerit, ac nimio vini calore reſoluta recreare membra, nulla ratione commodiùs id poterit, quàm momento ſpiritus vini, per chymicam aut ſpagyricam, vt dicunt, artē ſublimati (*Cardanus æthera vini, *alij* alcohol *vocant) ieiuno ſtomacho ſumpti. Ita enim fiet, vt qui antè erant diſperſi, ac reſoluti quodammodo vnà cum calore innato ſpiritus, vini huius rectificati ſumptione firmentur, cogantur, atque recreentur: diſcutit enim, quotquot ſuperſunt, pridianæ crapulæ reliquias.*

DE FEBRIS DEFINITIONE.
Ad Hadrianum Iunium. LXV.

MVLTOS *hodie inuenias, mi Hadriane, qui ne nihil omnino egiſſe videantur, nodum in ſcirpo, quod aiunt, quærunt; quemadmodum mihi facere videntur ij, qui quùm febrem calorem præter naturam eſſe confiteantur; miris tamen modis ſeſe excruciare conſueuêre, vnde originem calor hic trahat, aut vbi tandē conſiſtat. Alij ſiquidem Principis Auicennæ definitionem recipiunt, qui febrem calorem extraneum eſſe dicit accenſum in corde, procedentemq́; ab eo mediantibus ſanguine, & ſpiritu per arterias & venas in totum corpus. Alij contrà Auerrhoïs ſententiam magis approbant; qui tertio Colliget, ſic ſcriptum reliquit: Febris eſt calor » compoſitus ex naturali & extraneo putredinali miſſo à » corde ad totum corpus; & lædit omnes actiones, & paſ- » ſiones.*

ſiones. Alij rurſus Galeni Medicorum facilè primi auctoritatem potiore loco habent; qui commento decimoquarto & decimoſexto primæ ſectionis Aphoriſmorum dicit, quòd febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis in igneam: & primo De ratione victus in morbis acutis ait, febris ortus eſt conuerſio natiui caloris in igneum. Et quamuis tandem poſt longas diſceptationes probabilior, ac doctioribus rationi magis conſona ea videretur eſſe opinio, quæ ex Galeni ſententia, febrem conuerſionem natiui caloris in extraneum eſſe diceret; non defuerunt tamen qui in diuerſa ſententiam hanc traherent; his ſolum, ac ſimplicem calorem; illis calorē ſiccitati mixtum febris cauſſam eſſe aſſerentibus, quando videlicet calorem exuperantem ſequi magna ex parte ſoleat ſiccitas: ſicuti docet idem Galenus libro primo De temperamentis; quemadmodum vincente frigore comitari conſueuit humiditas. Nec deſunt vtriſque ſua argumenta: nam poſteriores variis Galeni auctoritatibus opinionem ſuam fulcire ſtudent; quando is libro primo De ratione victus in morbis acutis & octauo Methodi medendi, & in Aphoriſmis, febrem frigida & humida medicamenta requirere dicit, tanquam contraria affectioni calidæ, & ſiccæ: dicit autem: Ita verò & Hippocrates mihi ſentire videtur, vbi ait, Humidus victus febricitantibus eſt idoneus, potiſſimùm autem pueris, atque iis qui ita cibari aſſueti ſunt: febricitantibus enim in quantum febricitant, ex ipſa contrariorum indicatione humidus victus conducit. & libro nono: Eorum, inquit, quæ in ſimplices incidant partes, vnum eſt intemperies illa quæ in calido conſiſtit, hæc quoties in totum diffuſa eſt corpus, febris nominatur, ideoq; omnis febris qua febris eſt, humectatio refrigeratioq; remedio ſunt. Ac ſi dicat, calidum intenſè abſque

ſiccitate

ſiccitate non poſſe conſiſtere. Priores contrà, qui ex ſolo caloris exceſſu, aut intemperie febrem oriri volunt, id aſtruere nituntur, tam ratione, quàm auctoritate ipſius Galeni: Ratione quidem; nam ſi quatuor primarum qualitatum debita commiſtio, ſymmetria quadam, ac ſanitas totius corporis eſt; & earundem intemperies, vitium ſeu morbus vniuerſi corporis, neceſſum eſſe, vel ipſo Galeno teſte, quatuor reſultare morborum genera, ex quatuor illis primis qualitatibus, calidum dico, frigidum, humidum, & ſiccum, ac rurſus totidem ex earundẽ inter ſe indebita commixtione, caliditatis quidem cum humiditate, aut ſiccitate, frigiditatiſq; cum ſiccitate vel humiditate; adeò vt non ſemper neceſſarium ſit, ſiccitatem ſequi caliditatem, aut humiditatem frigiditatem, quum contrario modo interdũ vſu venire videamus. Adde quòd Galenus libro decimo methodi therap. febriũ omniũ quæ febres ſunt, proprium remedium eſſe dicat refrigerationem, ſiue ea talis actu ſit, ſiue poteſtate. Præterea quòd alia multa ex accidente refrigerando eaſdẽ curent; nam & frigidam potam febris perpetuum remedium eſſe docet. Atque ita illi vtrinq. variis modis ſeſe excruciant, dum neuter alteri vel latum vnguem cedat: niſi enim mordicus ſua tueri vtrique in animum induxiſſent, controuerſiam hanc componendi ratio non vſqueadeò difficilis eſſet; præſertim quando caloris, frigoriſq;, ac humidi ſicciq; intemperies ex tactu facilè dignoſci poßit: Solent enim febrium differentiæ interdum variare, ita vt modò miti quodam calore inuadant; interim etiam mordaci admodùm, & acri exæſtuent: nam vt Hippocrates libro ſexto Epidemion, febres hæ quidẽ manu ſunt mordaces, illæ verò mites, quædam autem non mordaces, ſed increſcentes; nonnullæ acutæ, ſed ipſa manu deuictæ;

quædam ſtatim ardentes, quædam verò ſemper debiles, ſiccæ aliæ, ſalſæ, aliæ inflatæ, aſpectu graues, aliæ ad manum humidæ, rubicundæ aliæ valdè, atque aliæ liuidæ, & aliæ præpallidæ, & alia eiuſmodi. Vbi Hippocrates, ſicuti docet Galenus, ab ipſa rei eſſentia, ſimulq́; ab ipſa dignotione in proprias differentias fecit diuiſionē: nam eſſentia quidem febrium eſt in genere caloris præter naturam; differentiæ caloris ex eo quòd maioris, minorisq́; rationem admittat, ſiquidem vbi admodùm exceſſit calor, idem ſenex non πυρετὸν, ſed πῦρ, hoc eſt ignem, huiuſmodi febrem nominare conſueuit: quam vt nō citra ſiccitatem conſiſtere dicimus, ita humida potiſſimùm remedia efflagitare concedimus. Ceterùm vbi πεμφυγώδεες fuerint, hoc eſt vt in commento eiuſdem loci interpretatur Galenus ἤτοι νοτίδος μεστοὶ καὶ ὑγρότητος ἢ καὶ πνευματώδεις, in quibus ſcilicet magna vis humiditatum & flatuum eſt, vanum & ridiculum prorſus fuerit aſſerere neceſſariò caliditati ſiccitatem eſſe coniunctam, quanquam non negemus aliquam eſſe conuerſionem humiditatis ad ſiccitatem, ſed talem quæ tactu percipi nequeat.

NVM VVLNERARIÆ POTIONES EX- *tremis artubus vulneratis, aut fractis, ad continui ſolutionem vniendam omnino neceſſariæ ſint.* LXVI.

VENTILATA *iamdudum controuerſia eſt de medicamentorum purgantium potentia attractiua; aliis ex Hippocratis & Galeni ſententia dicentibus medicamentum purgans humorem tantùm ſibi ſimilem, ac familiarem ſimilitudine totius ſubſtantiæ adiutum à calore naturali attrahere: Sic Rhabarbarum, aloëm, ac* ſcam-

ſcammonium, bilem; helleborum, epithymum atram bilem; cnicum, turpethum, agaricum pituitam ducere. Aliis contrà ad occultam quandam qualitatem, ſeu formam ſpecificam, aut virtutem cœleſtem, aut vtut vocare libuerit, purgatricem vim illam referentibus. Et quum vtriſque ſuæ non deeſſent rationes, fuerunt tandem qui controuerſiam hanc componere ſtuduerunt., dicentes id quod Meſueus formam ſpecificam vocat, à Galeno dici totius ſubſtantiæ ſimilitudinem, ſeu qualitatis proprietatem; quam ex ſola experientia iidem noſſe aſſerunt. Quæ quidem etſi multorum diligenti labore iam quodammodò diſcuſſa ſit, ſupereſt tamen alia, ab illa non admodùm diuerſa, quam omnes ferè ad vnum, quod ſciam, præter Ioannem Tagaultium intactã reliquerunt: nam quemadmodum illa circa medicamenti purgantis facultatem, ita hæc circa potionum vulnerariarum energiam verſatur. Rogerius enim quidam, atque adeò omnes ferè ad vnum chirurgiam hodie exercentes, vulnerarias potiones, tanquam citra has nihil rectè adminiſtrari poßit, etiam extremis, atque longißimè dißitis particulis ad vnionis ſolutionem, ipſamq́; oßium fracturam conglutinandam contra Galeni mentem indiſcriminatim exhibent: Siquidem quamuis in ſtomachi, gulæq́; vulneribus commodè eadem propinentur; non tamen ſequitur ob id omnibus eaſdem ex vſu eſſe, nam & inteſtina ipſa tenuia quoniam longiùs nonnihil dißita, atque adeò in ipſo medio conſtituta ſunt, eis quæ ſupernè infunduntur, vix reſtituuntur, niſi & iis quæ per ſedem iniiciuntur ſubueniamus: quæ quòd citiùs ad locum affectum penetrant, plus præſtare aſſeruerim quàm quæ transglutiuntur. Prætereà quæ in craßis inteſtinis conſiſtunt continui ſolutiones, iis quæ per inferiora iniiciuntur remediis opus

tantùm habent. Quod ſi in inteſtinis locũ tantùm habet, quemadmodũ quarto methodi medendi docet Galenus, quid tandẽ de extremis artubus, tibiis, brachiis, & id genus aliis confractis, aut vulneratis pronunciabimus? quibus ob ſitus diſtantiã nihil profuturas eſſe crediderim has potiones, quando vicinioribus paulo particulis nequicquam exhiberi idem auctor eſt. Adde quòd neque Hippocrates in huiuſmodi, conglutinatoriis potionibus vtatur (quid vtatur dico quãdo vix vmbram aliquam in eiuſdem monumentis earum inueniri exiſtimem?) verùm omnibus modis ſtudeat ſubiectam carnem ad naturalem habitum redigere, quòd citra eandem neque conglutinari vlcera, neque carne impleri poſſint. In quem vſum boni ſucci cibos, vitatis omnibus acribus ſubminiſtrat Celſus; cautione habita ne huberiorem quàm par ſit ſanguinem generet, quantumcunque bonus is ſit qui ad partem affectam defertur; ſi tamen confertim eò prorumpat, periculum eſt ne ſymptoma aliquod conciliet: ea propter ſolent medici, quoties aliquid aut quantitate, aut qualitate moleſtum eſt, medicamento purgante, aut ſanguinis miſſione educere, quantumuis ipſius vlceris curatio nihil minùs quàm purgationem deſideret, quando vlcus qua vlcus eſt, aliud nihil efflagitet, quàm vnionem eius quod ſolutum eſt; nam & varices ipſos qui ſupra exulceratum locum ſunt, priùs ſanandos ratio dictat, quàm vlceris curationem aggrediamur: eam ob rem Hippocrates
" *libro De vlceribus, Purgatio per aluum, inquit, pleriſque*
" *vlceribus prodeſt, præterea vulneribus quæ in capite ſunt*
" *accepta, item quæ in ventre, & articulis, adhæc iis in qui-*
" *bus oſſi caries impendet. Idq́ non ſolùm quemadmodum docet Galenus, vt quòd noxium ſuperuacuum, quo vrgentur educat, verùm etiam vt ad diuerſum trahat.*

Quam

Quam curandi rationem, vt coniectura eſt, quum nonnulli ab omnibus obſeruatam animaduerterent, ne nihil omnino feciſſe viderentur, purgationes has vulneratis dari ſolitas, in vulnerarias certo ordine cõſcriptas potiones conuertere ſtuduerunt, atque iiſdem quiduis etiam ſe conſequuturos polliciti ſunt, dum bene, ſciteq́; deligato loco affecto, ac braſſicæ folio ſuperpoſito, ſumptisq́; dietim vnciis quatuor aut tribus decoctionis cuiuſdam quæuis vulnera quantumuis magna curare aggrediuntur: non animaduertentes interim, quòd pro loci affecti ratione variandus ſit exhibendi modus, & res ipſa quæ exhibetur. Siquidem quamuis gulam, & ſtomachum vulnerarias has potiones requirere diximus; alias tamen efflagitat affecta gula, alias ventriculus: nam quibus gula exulcerata eſt, aut alioqui vulnerata, vt citiùs cõcreſcat, atque conglutinetur, craſſiora, ac tenaciora eſſe debent, quæ tranſglutiuntur; ac neque ſemel, neque tota ſimul aſſumenda ſunt, ſed paulatim, ac aſſiduè: quando, vt docet Galenus quarto methodi therapeuticæ, ex tranſitu atque contactu vulneribus quæ hic ſunt, vtilitas accedit, non ex continendo & diutiùs inhærendo, ſicut iis quæ in ventriculo ſunt; adde quòd & gargariſare iubendum ſit ei, qui ad fauces, & pariſthmia iiſdem vtitur: quo fit vt etiamſi quàm maximè potiones has neceſſarias eſſe concederemus; non poſſent tamen inficias ire, qui earundem vſum introduxêre, quin contrà quàm hodie ferè faciunt, pro loci affecti ratione variandæ ſint. Si etenim pro certo & indubitato habetur, omnem animalis particulam proprium, atque ſibi ſimile trahere alimentum, neceſſum eſt oſſium idoneum nutrimentum, craſſius atque magis terreum eſſe, quàm aliud quoduis nutrimentum in toto animali fuerit, quòd ſi in alimentis ita ſe habet, in medi-

 camentis;

camentis, quæ ad vnionis ſolutionem conglutinandam exhibentur, eandem rationem obſeruet neceſſe eſt: quando, vt iam antè ex Hippocrate intuli, potiſſima conglutinationis cauſſa ſit, ſubiectæ particulæ ad naturalem temperiem reductio: ac proinde quum craſſa omnia, ac terreæ quodammodo, craſſarum quoque ſint partium, & difficilis tranſitus; veriſimile eſt nulla huiuſcemodi per os ſumpta profutura quicquã, vt in tibia, brachiis, aut coxa confractum os citiùs conferueat, quãdo propter partium craßitiem ad locum affectũ commodè deferri nequeant. Hinc induci poteſt quòd neque panni ipſi, iiſdem potionibus intincti, ac vulneribus ſuperimpoſiti admodum conueniant, quando dum ſummas partes nimia nonnunquam aſtrictione cogant; interiores, ad quas penetrare debuerant, ſubire nequeant, ſed ſolutas, atque inter ſe diductas relinquant: Satius enim longè eſſet eoſdem vino nigro & ſubauſtero madefacere, quum nulla vlcera ex Hippocratis ſentẽtia madefacienda ſint quàm vino, tanquam præſidio quodam inter omnia aptiſſimo, vt quod glutinãdi vi præditũ ſit, & ad interiora facilè permeet. Hinc idem ſenex libro De fracturis, pannos vino nigro auſtero intinctos, ſi grandius aliquod fragmentum receſſurum expectetur, ſupra ipſum vlcus imponi iubet: atque id, æſtate præſertim, frequenter reiterare conſulit, quod videlicet, quoties ſuperiniecta lintea paulatim ſiccantur atque incaleſcunt, vlcus inflammari neceſſe eſt: atq. hac ratione multos vulneratos ſe percuraſſe auctor eſt Galenus, ſuperpoſita tantùm leui ſpongia. Quare ſi cui lubeat vulnerariis hiſce potionibus, tanquam topico vti remedio; conſuluero, vt earundem facultatem ad vinum nigrum modicè auſterũ expendat, ne aut ſi nimis tenuium ſint partium, aut ſupra modum auſteræ, noxam aliquam

inferant:

inferant: nam quæ tenuium nimis ſunt partium, dum altiùs penetrant, dolorem adaugent, ſubiectam carnem quodammodo lancinando, ac comprimendo, quæ auſteræ admodum ſunt, antedictis non minus doloris inferunt, dum carnem vltra modum comprimunt ac cogunt.

CONSVETVDINEM NON RECTE ALteram appellari naturam. LXVII.

QVI *conſuetudinem, alteram naturam appellare conſueuerunt; neque nihil, neque omnia mihi dixiſſe videntur, vt habet ille. Siquidem quum ea ſit naturæ conditio atque ſagacitas, quemadmodum ait philoſophus, vt de poſsibilibus quod melius eſt operetur; longè à conſuetudinis (vt ſic dicam) natura abeſt: Ea etenim conſuetudinis vis eſt, vt ſeu bona ſeu mala fuerit, intermiſsionem nullam patiatur, verùm ſemper ad ſolita redire cogat, adeò vt frenos naturæ ipſi quodammodo imponere videatur, atque eiuſdem leges non ſolùm euincere, ſed & nonnunquam abrogare: Nam & Hippocrates noſter, cõſueta, etſi peiora, melioribus inſuetis meliora eſſe pronunciauit: ita ſolet, tanquam moleſta quædam interpellatrix, tyranni in morem vectigal exigere: quod ni pendatur, grauiſſimis ſtatim ſubiicitur corpuſculum hoc quantulumcunque eſt periculis, labaſcentibus ſenſim viribus, ac flacceſcente tota corporis compage, atque tandem omnibus morborum generibus inuadentibus. Produnt ſiquidem hiſtoriæ, vt vnum multorum loco exemplum in medium producam, Dionyſium illũ tyrannum, quum in vrbis ſuæ obſidione à ſolito potu aliquantulum temporis deſtitiſſet, tabe protinus correptum fuiſſe. Hinc Cretenſes, vt auctor eſt Valerius Maximus, quoties acerbiſsima execratione aduerſus eos quos vehementer odiſ-*

ſent, vti vellent, vt mala conſuetudine delectarentur, optabant; modeſtoq́, vt inquit, voti genere efficaciſsimum vltionis euentum reperiebant. Natura contrà (niſi, ſicuti quidam auſi fuerunt, eandẽ nouercæ loco habeamus,) ſi quando ab inſita, aut genuina temperie corpuſculũ hoc nonnihil receſſerit, in hoc vnũ intenta eſt, vt lapſum reſtituat, ac deperditum reſarciat. Hinc Hippocrates naturam morborum curatricem, medicũ naturæ miniſtrum appellat: neque id vna, atque eadem ratione; verùm varijs, atque iiſdem diuerſis modis, prout res, locus, tempus, atque ipſius patientis conſuetudo exigere videatur, tentare ſolet. Interdum nanque materiam concoquit, morbosq́ iudicat ſine medici adminiculo; quando per ſudores, per ſanguinis è naribus aut hæmorrhoïdibus fluxum ſoluit, nonnunquam etiam (quum ad conſueta redire ſaluberrimum ſit) ſolius conſuetudinis, ſi bona ſit, vtens opera, à grauiſsimis periculis corpuſculum hoc vindicat: quò reſpicientes plerique, intrepidè atque citra exceptionem, conſuetudinem appellare alteram naturam hactenus non erubuerunt; quum tamen, vt diximus, naturæ limites non rarò excedat. Conſultius certè, meo iudicio, deinceps facturi, ſi conſuetudinem modò bona ſit, naturæ fomitem quendam, atque adminiculatrices ſuppeditantem manus appellent: Sin mala fuerit, tantum abeſt, vt naturæ nomine cenſenda ſit, quando naturam ipſam peſſumdantem, atque eidem quàm maximè contrariam quiuis rectè dixerit. Eſt enim aliud nihil conſuetudo, quàm procliuitas, ac facilitas eodem modo ſemper agendi, aut patiendi in rebus tam naturæ amicis quàm aduerſis, vſu comparata. Nam & medicamẽta quibus longo vſu iam aſſueuimus, non ampliùs medicamenta ſunt, ſed alimenti quodammodò naturam, licet non abſolutè, induerunt.

induerunt. Sic quoque regum maximus, atque ante ſe genitorũ diligentiſſimus Mithridates, dum quotidie venenum bibit, præſumptis remediis effecit vt conſuetudine ipſa innoxium fieret. Hinc Martialis:

Efficit epoto Mithridates ſæpe veneno
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

DEXTRI'NE AN SINISTRI LATERIS *pleuritis periculoſior ſit.* LXVIII.

MIRABARIS *nuper, mi Chriſtophore, in taberna pharmacopœa mulierculam percontantem, num in dextro, æquè ac ſiniſtro latere oriretur pleuritis; ſeſe enim à maioribus tanquam per manus accepiſſe ſiniſtrum latus inflammationi huic tantùm obnoxium eſſe, nam qui in dextero orirentur lateris dolores, non eſſe propriè pleuritidos cenſendos nomine, ſed lateritij tantùm doloris. Verùm ſi muliercularum non prorſus improbandam conſuetudinem ad memoriam reuocaſſes, non erat quòd ſcrupuloſam illius dubitationẽ admirareris. Quemadmodũ enim olim in templo Æſculapij quod tholon appellabant, ſolebant nomina tam virorum quàm mulierum qui eius Dei operá reſtituti fuiſſent, inſculpere columnis, ac ſubſcribere quo quiſque morbo laboraſſet, quaq́; medendi ratione reſtitutus eſſet: ita ſueuit muliercularum genus, à medicis progenitoribus originẽ trahens, ad colum fuſumq́; recitare quoties qu... à maioribus ad propulſandos morbos idoneum audiuiſſet, atque id tanquam per manus poſteris tradere. hinc hodie tot muliercularum ludicra prorſus, ac ſuperſtitionis plenæ curationes; hinc tot & tam variæ de rebus arduis perſuaſiones, cuius quoque generis ea quæſtio quam illa nobis propoſuit, fuit: Siquidẽ quum Auicennas in dubium*

 vocârit,

vocârit, periculoſiórne ſit dextri, an ſiniſtri lateris pleuritis, atque potior videretur ea opinio, quæ ſæuiorem, atque minùs ſalubrem diceret quæ latus ſiniſtrum occupaſſet; veriſimile eſt mulierculas methodi omnis expertes hinc collegiſſe, nullam cenſendam eſſe pleuritidem quæ non in ſiniſtro cōſiſtat latere. Quod ego mulierculis condonandum iudico, quando primæ notæ viri, miris ſeſe modis excruciârint, in nodi huius extricatione. Conciliator enim differentia 99. ex profeſſo quæſtionem hanc tractans, dum ex Auicennæ ſententiâ periculoſiorem, atque ſæuiorum accidentium eam eſſe dicit quæ in ſiniſtro conſiſtit latere, diſtinctionibus tamen quibuſdā rem ambiguā reddit; idq́ Principis auctoritate; qui ſic ſcriptum
» *reliquit: Quidam ponunt pleureſin dextri lateris pericu-*
» *loſiorem; alij verò eam quæ ſiniſtri: verùm rei veritas eſt;*
» *quòd propinquior parti ſiniſtræ deterior exiſtit; ſed eſt*
» *conuenientior ad hoc vt maturetur, & recipiat reſolu-*
» *tionem, ſi fuerit de proprietate ipſius vt recipiat illud; &*
» *ea quæ remotior eſt, à parte ſiniſtra eſt ſalubrior, verùm*
» *ipſa eſt ad reſolutionem, & maturationem contumax*
» *& inobediens. Vbi Petrus de Abano, & Ioannes Matthæi de Gradi Principem ita diſtinxiſſe volunt, vt eam quæ in ſiniſtro latere eſt pleuritim periculoſiorē dicant, propter vicinitatem nimirum cordis, quod perperam in ſiniſtro collocant latere, quum id in centro ipſius pectoris conſtitutum ipſa demonſtret experientia, atque id Galenus palam pronūciet, qui libro De vſu partium ſexto, illos à vero aberrare docet, qui in ſiniſtris quodammodò magis*
» *locatum cor aſſeruerunt. dicit autem ſic: Medium por-*
» *rò in toto ſpacio thoracis cor poſuit natura, regionem*
» *hanc maximè idoneam ad tutelā ſimul, & ad eam quæ*
» *in toto eſt pulmone æqualem, & iuſtam vndique refri-*

geratiönem

gerationem inueniens: exiſtimant autem quidam non medium exquiſitè, ſed in ſiniſtris magis quodammodo locatum eſſe cor; decepti per eum qui percipitur ad ſiniſtram mamillã pulſum ſiniſtri ventriculi inibi exiſtentis, qui eſt omnium arteriarum principium. Vnde colligi poteſt, nequaquam in metu eſſe maius periculum in pleuritide ſiniſtri lateris quàm dextri, ob vicinitatem nimirum ipſius cordis, aut primariæ alicuius particulæ; quando potius ob principalium membrorum vicinitatem & ſitum, dexterum latus aliquo modo affectum periculoſiora, & grauiora accidentia ſecum afferre cenſendum ſit: nam præterquàm quòd iecur in dextris ſedẽ habeat, à dextera etiam cordis auriculæ exoritur vena, vt auctor eſt Galenus libro De locis patientibus quinto, quæ ſanguinem ſecum defert, qui omnibus thoracis partibus quæ circa octo coſtas ſunt, alimentum præbeat: adeò ridicula eſt hæc de vicinitate cordis quam commenti ſunt, diſtinctio; quemadmodum & illa quam de quantitate materiæ, & cita maturatione in medium proferunt. Siquidem quum ſuccingens membrana duplex ſit, (hoc eſt ex duabus conflata membranis, quarum altera interna eſt, externa altera, inter quas venæ, arteriæ, neruiq́; præterlabuntur, quæ omnia inter coſtarum interualla ducuntur,) quid quæſo præpediet quo minor defluxio humorum decumbat in ſiniſtrum quàm dextrum latus? Et rurſum, cur, cæteris paribus, affectum dexterum latus non tam facilè reſoluetur, atque ad maturationem perueniet quàm ſiniſtrum, quum in dextro latere certum ſit naturalem illum, atque inſitum calorem qui corpus noſtrum vegetat, copioſiorem eſſe quàm in ſiniſtro? Videmus etenim manus, pedes digitosq́; atque reliqua dexteri lateris membra ſiniſtris eſſe tum robuſtiora, tum maiora: quod

ſoli

ſoli naturali calori acceptum ferendũ eſt, vt qui in viciniores partes citiùs, & commodiùs diſtribuitur, quàm in eas quæ longiore vtcunq. interuallo diſsitæ ſunt. Quod ſi in artubus, & reliquis corpuſculi noſtri particulis locum habet, cur in maturatione materiæ non admittetur? quando calor innatus is ſit qui morbos ſoluat, qui abſceſſus reſoluat, atque ad maturationem deducat. Prætereà num ob id cenſebimus materiæ fluxum vberiorem ferè eſſe in dexterum latus, quòd dexter cordis ventriculus amplior ſit, & hepar in eo ſitum habeat? abſit: nam hæc, vt diximus, propagines ſuas quoquouerſum in vtrunque latus demittunt, per quas particulis alimentum diſpenſatur, atque in hiſce natura rerũ opifex eam æqualitatem atq. ἰσοῤῥοπίαν obſeruauit, vt ne Momus quidẽ ipſe quicquam quod calumnietur habeat. Quare qui huiuſcemodi exceptionum labyrintis ſemet atque alios excruciare conſueuerunt, hoc vnum mihi agere videntur, vt nodum in ſcirpo quærant, dum ſubtilis, atq; arguti nomen aucupantur. Quis enim neget pleuritim pro inflammationis magnitudine, materiæ peccantis qualitate, aut quãtitate æſtimandã eſſe? aut malignam, aut minùs periculoſam, non habita ratione aliqua lateris affecti? æquè enim in ſiniſtro, ac dextero latere poteſt eſſe copioſa humorum affluxio; æquè etiam in vtroque cita aut tarda maturatio. Deſine igitur deinceps ſcrupuloſas mulierculàrum quæſtiunculas demirari: quando in eodem ferè luto hærere videamus, eos qui quondam in arte noſtra primas ſibi vendicârunt: ac ſi quando latericius dolor aut inflammatio occurrat, ratione habita ſolius magnitudinis inflammationis, parui aut nihili faciens in alterutro eadem conſiſtat latere, curationem aggredere; ita fiet vt ſanitati ægroti, & honori tuo probè conſultum ſit.

DE NOVO QVODAM ET INAVDITO *morbi genere, primùm in Germaniâ viſo, & de alio item mirando ſymptomate*: ad doctiſſimum D. Dom. Iohannem Heurnium.

LXIX.

RECOLENTI *mihi nuper tertium Epidemiôn Hippocratis, atque in eundẽ Commentarium Galeni ſecundum, vir clariſſime; ſtatim initio obtulit ſeſe mihi Galeni locus, vbi implicatorum morborum mentionem facit, eorum videlicet, in quibus multa affecta ſunt partes: Nam, vt inquit, poteſt idem homo non ſolùm laborare ex capite, ſed & ex thorace & pulmone: quibus addere licet & ex ventre & iecinore, & liene. Quem locum dum diligentiùs mecum excutio, ſuccurrit ſtatim morbus quidã qui anno octuageſimo primo menſe Augusto Dominica prima poſt Trinitatis in Ducatu Luneburgenſi in pagis aliquot multos inuaſit, atque peremit; ita vt in duobus pagis (vt ex ſcripto Ioachimi Lutzerloho paſtoris in Hamigbutzall, dũ adhuc in aula Illuſtriſſimi Principis Erici Brunſuicenſis & Luneburgẽſis Ducis verſor, ad me miſſo intellexi)* 123. *mortui fuerint. Qui an ſub peſtilentialium epidemiorum, an endemiorũ cenſu referendus ſit, nõ ſatis affirmare poſſim; cõtages enim, vt dixi, vltra paucos admodùm pagos nõ ſerpſit, & pauci qui illo apprehendebantur euaſerunt. Et quia paucis & rarò mihi viſus aut auditus fuerit talis morbus, viſum mihi fuit ſingula illius accidentia tibi tranſſcribere, vt ſingulis exactè diſcuſſis, ſi fortè iterum alicubi inuaſiones faciat, præſentia ad manum ſint remedia. Incepit igitur cum extremorum artuum, manuum dico & pedum, paralyſi aut conuulſione, manuum digitos ita in*

pugnum

pugnum comprimens & incuruans, vt à fortiſſimo viro in priſtinum ſtatum reduci nequiuerint. hinc eruperunt in maximum & horrendiſſimum vlulatum, non ſecùs ac ſi epileptico more apprehenſi eſſent: quem in multis ſubita ſubſequuta eſt mors. Quòd ſi ex vlulatu adhuc ſupereſſent, perinde ac catochi oculis & ore aperto iacebant, & poſt dictam illam manuum conuulſionem, magnus manuum tumor ſubſequutus eſt cum intolerabili quodam calore; ita vt frigida continua affuſione ſedari non potuerit, verùm ſenſim introrſum repens, viſcera atque adeo cor ipſum petierit; & quamuis quàm maximè calerent, frigoris tamen impatientiſſimi fuerunt. Et ſi fortè nõnulli ex morbo vtcunque conualeſcerent; nunquam tamen aut perquam rarò in ſolidum reſtituebantur; nam ferè pedum ac manuum officio deſtituebantur, non ſecus ac ſi luxata eſſent membra. plurimi ex morbo delirio apprehenſi ſunt, ita vt interrogati reſponderint quidem, cæterùm neſciuerint quid dixerint: alij prorſus inſaniuerunt: multis memoria læſa fuit; nonnulli ſurdaſtrorum in morem ſi quid dicturi eſſent, alta voce eloquebantur, ita tamen vt balbutiente quodammodo lingua, ſi quid dicerent, proferrent; non aliter, quàm ſi lingua paralyſi affecta eſſet. Os lentore ac mucco plenum erat. Multi etiam fluore alui & dyſenteria corripiebantur. Appetentes fuerunt ſemper cibi & potus, ita vt plus quàm pro conſuetudine comederint & biberint; non aliter ac ſi boulimia laborarent. A cibo in ſoporem inciderunt, qui magna ex parte durauit dũ ingrueret paroxyſmus, à quo ita defatigabantur, ac ſi totum diem in ſole laboraſſent. Faciebat autem morbus hic varios paroxyſmos, quos ægri ſtatis certiſq; temporibus, præſentiunt ex diſcurſu humorum ab vna parte in aliam: quemadmodum

dum Galenus de epilepſia originem à pedibus trabente mentionem facit. Caterùm quòd ſi qui conualeſcentes & ad ſeſe nonnihil redeuntes, aëris mutationem experiri tentaſſent, poſteaquam ſibi ipſis viſi vtcunque agiles eſſe, ita vt ſolitos labores & munia conſueta ferre poſſent, reuerſi in priſtinum locum, paulo pòſt impotentes & quodammodò reſoluti facti ſunt, ac tandem magna ex parte vitam morte commutârunt. Pueros ſi affectio apprehendiſſet, exiſtimabant ſolo materni lactis vſu refici. Atq. hac hactenus. Nunc, ni graue ſit, & ſi tantillum temporis tuis ſtudiis ſurripere poteris, audies nouum accidens, quod adhucdum nobis negotium faceſſit: Iuuenis eſt plus minùs viginti annos natus, qui elapſo anno in grauiſſimam incidit ſceletyrbem; ita vt in eo omnia tam ſtomacaces quàm ſceletyrbes accidentia concurrerent. ſtatura eſt ſic ſatis procera, ſed pectore ſtrictiore, cuius maiores ferè omnes ex tabe vitam finierunt. Hic igitur, curata vtcunq. ſceletyrbe, paulo pòſt incidit in defluxum catarrhi à capite in pectus cum debilitate ſtomachi. Ad eum igitur iam denuò vocati, quia (vti diximus,) ſceletyrbe iam laborârat; illius etiam habita ratione aliqua, medicamenta primùm conſcripſimus, quæ materiã peccantem vtcumque maturarent, & expurgarent; deinde, quantum in nobis fuit, membris mandantibus & recipientibus robur addere ſtudium fuit: in quem vſum præſcripſimus pileolos capiti accommodos, & inunctiones pectori & ſtomacho conuenientes, vnà cum tragematis & tabulatis; exhibẽtes interdum à cœna aloën lotam; præſcripta interim debita & bona victus ratione. Quod quum aliquamdiu ex præſcripto noſtro feciſſet, accidit ſub veſperam vt biberet lac ebutyratum cum pane, more patrio decoctum, cuius ſumpta ſcutellula & alteram

Nouum.

teram ſuperingeßit: hinc probè ſatur cubitum conceßit
Symptoma mirum. *(mirum dictu) nocte intempeſta ſtatim ſubſequuta eſt continua quædam ebullitio ex faucibus palatum & os petens; ita vt os & labra continuo humore & ſpuma maderent: quam, etſi abſtergeret, ſtatim noua ebullitio ſubſequuta eſt. adhæc acceßit proſtratio appetitus vnà cum deglutiendi difficultate, ita vt ſi quid diligenter commanſum tranſglutire vellet, gulæ interiore membrana vi ſua catheltica deſtituta, confeſtim per os cum lentore ei commixto reiiceretur. Ego nouitate rei perculſus, iußi primùm adferri æthera vini, in cuius cochleari agitari iußi luteum oui vnum tantiſper dum ætheris calore nonnihil concreſceret ac coqueretur; quod ita præparatum ad tempus offerri iußi; dans interim pro eclegmate ſyrupum de praßio cum oxymelle ſcyllitico & conſerua telephij, quam cochleariani vocant; ac ſi quando aſtrictior eſſet aluus (quòd ab enematibus abhorreret) hieram picram in opiatæ idea præſcripſi. Parentes interim me inconſulto, ob domeſtica negotia profecturi Amſtelredamum, lotium Iuuenis vnà ſecum deferunt, ac celeberrimo ibi medico inſpiciendum dant. is cùm multa ex lotio diuinaret, partim præſcriptis noſtris ſubſcripſit, partim etiam nonnulla adiunxit, ne nihil omnino feciſſe videretur. Hoc ego intelligens, parentes monui, vt ſi Amſtelrodamum iterum profecturi aliquando eſſent, mihi ſignificarent, vt is lectis meis literis & viſo lotio, aliquid in medium proferret, quo iuueni ſuccurreretur; & mihi (ſi à ſcopo aberraſſem) meliorem methodum demonſtraret. Laudauit ille ferè ſingula: verùm in locũ ſyrupi de praßio, de hyſſopo ſubſtituendũ cenſuit, & quamuis æthera illum vini quo vſi fueramus propter oxyporiam & calorem, non ſatis commendatum haberet, iniunxit tamẽ*

vſum aquæ, vt vocant, cinnamomi; quam ego vt non prorſus alienam ab inſtituto noſtro admiſi, & quia prorſus flatulenta erat materia, quæ à faucibus, aut œſophago ad os ebulliit, aquam etiam, vti dicunt, aniſi præſcripſi; cuius vſu aliquanto leniùs ſeſe habuit; ita tamen vt circa genu œdematoſus quidam tumor grauiſsimos excitans cruciatus ſeſe inſinuaret, ad quem diſcutiendum & reſoluendum exhibuimus remedia, ſperantes naturam per modum abſceſſus illic ſeſe exonerare velle. atque id quidem quum ad tempus aliquod feciſſemus, remiſſus eſt vtcunque dolor, manente interim tumore, atque ebullitione illa non ceſſante; ita vt quum continuos aliquot menſes ea defatigatus eſſet æger, nec quicquam deglutire etiã quàm minutiſsimè præmanſum, vt dictũ eſt, poſſet, verùm eò tandem deuenimus, vt lac & luteum oui ſorbile tranſglutire liberè poſſet, quæ vtraque vt tabidis conuenientiſsima, & quæ in ideam noſtri corporis ocyſſimè & facillimè tranſmutãtur, admiſimus: ſedulò illum admonentes vt obſeruaret, num in ſtomacho bileſcerent, aut aceſcerent, quod ex nidoroſis ructibus facilè percipere poſſet; nam tum demum à lactis & ouorum vſu abſtinendum illi dixi. Cæterùm quum iam hac victus ratione hebdomadas aliquot ſeſe ſuſtentaſſet æger, ac nonnibil conualeſcere videretur, iã iterũ inuaſit ſtomachace, adeò vehementer, vt ex ore & gingiuis maxima copia atri ſanguinis efflueret. Iuſsi igitur vt in lacte telephium decoquerent, atque ablutiones facerent ex decocto becabungæ dictæ, radicum biſtortæ & ſiſimbrij, cardamines; ita tamen vt gingiuas interdum perfricarent cum lapide quodam philoſophorum communi in pollinem redacto & melli roſato commixto. Lapidis autem huius deſcriptio talis eſt; aluminis ℥ ij. vitrioli albi ℥ ß. ſalis am-

 moniaci

moniaci ʒ j. ceruſæ ℥ j. comburantur omnia ſimul in vaſe fictili, in modum aluminis vſti, ac reſeruentur in vſum. Quod quũ iam aliquot dies feciſſet, leniùs vtcunque valuit, & gingiuæ firmiores redditæ ſunt: quem finem habiturus ſit morbus, ambigo: hoc certè vereor, ne tandem ea tabis ſpecie quam Celſus atrophiam vocat, abſumatur. Tu interim mi HEVRNI *ſi tantũ temporis tuis ſtudiis & occupationibus ſubtrahere poteris, per occaſionem aliquid reſcribas. ita enim me tuæ reficiunt literæ, vt quoties ad me deferũtur, cum ipſis Muſis mihi colloqui videar: ignoſces interim quòd prolixior fuerim, & non aliquãto politiùs exarârim: nam is qui has fert, ſua inopina profectione dicere ſimul & ſcribere coëgit. Vale artis noſtræ decus: & me tibi addictiſſimum habe. Vale. Goudæ. 16. Febr. 1.590.*

FINIS.

EPISTOLARVM.

I. De fœtu mortuo ſenſim per fruſtula excidente. Pag. 1
II. De paracenteſi. 4
De eadem appendix. 8
III. De muliere caſu [illegible] liberata. 9
IIII. Boue exenterato vnicum inuentum renem. 12
V. De puero hydrocephalico. 14
VI. Obſeruatio admiranda in caſeo. 17
VII. De ſcirrhoſo tumore ex ore excreſcente. 19
VIII. Pectore ſuppuratus rupta vomica liberatur. 21
IX. Nauta epota aqua ſegregationis, quam fortem vocant, ſanitati reſtituitur. 27
X. Vermis per meatum vrinarium reiectus. 30
XI. De quodã qui ad multã vſq. ætatem vixit, non apparente manifeſto arteriarum motu. 34
XII. De quodam qui ex ebrietate aphonus, conuulſus mortuus eſt. 36
XIII. Mulier prouectæ ætatis, multos annos febre tertiana laborans. 41
XIIII. Puer per penem excrementa reiiciens. 45
XV. Cur ægris remedia præſtantes præcinere dicantur. 46
XVI. Vnde natum ſit adagiũ, quid cani & balneo? 50
XVII. De deciduo infantis vmbilico. 52
XVIII. De diluendi vini modo; & quare dicatur, vinũ lymphatũ citò potatũ facit ad lepram. 54
XIX. De ſomno pomeridiano, & quare dicatur, *Menſibus eſt quibus R, noli dormire magiſter.* 57
XX. Cur laqueo ſtrangulatus dicatur is, qui relicto vino aufugit. 61
XXI. Quare dicatur, Belli tempore mentham nec ſerito nec edito. 63
XXII. Quare annulus ex onagri, vel aſini domeſtici vngula geſtatus dicatur effaſcinare. 64
XXIII. Conſuetũ olim fuiſſe inter epulas canere: de feſtiuitate luminũ, theoxeniis, pythegiis, robigalibus, ſemẽtinis feriis, & pyris quæ pridie natiui-

XXIII. ... natiuitatis Ioannis Baptiſtæ extruuntur. 67
XXIIII. Multa in vſum noſtrum irrepſiſſe, quorum vtilitas ignoratur. 76
XXV. De vſu ſylueſtris vitis ad dentiū dolorem. 78
XXVI. De medicamentorū quotidie in vſum venientium varietate. 81
XXVII. De vitro ſtibij. 84
XXVIII. De faba, & nuce præneſtina, catharticis, aliiſque ex nouis inſulis allatis ſimplicibus. 87
XXIX. De halece, an edendo ſalubris ſit. 90
XXX. Num piſces pelagici ægrotis adminiſtrari poſſint. 94
XXXI. Quare apud Amſtelredamum, Alcmariam, atque alia vicina loca, magis quàm aliis locis familiaris ſit ſcorbutus. 97
XXXII. De lumbagine, & tabe dorſali. 99
XXXIII. Sceletyrben, ac ſtomachacen dictam, eſſe magnorum lienum accidentia; nec eſſe diſtinctum morbum ſcorbutum, à magnis Hippocratis lienibus. 105
XXXIIII. Balnea ferrata, aut acida dicta, ſcorbuto conuenire. 110
XXXV. De Hollandia. 114
XXXVI. An terſa mundaque linteamina, puerperis & ægrotis conueniant. 116
XXXVII. An in peſtis prophylactice, alui deiectio vomituſque conueniant. 119
XXXVIII. De zytho, courmi, & cereuiſia. 124
XXXIX. De eiſdem Remberti Dodonæi epiſtola. 130
XL. De eiſdem. 135
XLI. De Embecenſi cereuiſia. 139
XLII. Vocabula nonnulla Belgica, è Græco, Latinoque manare fonte. 141
XLIII. Vtrùm in morbo Gallico conueniat exquiſita tenuiſque victus ratio. 145
XLIIII. Num à ſale ſalitiſque in totū abſtinendum ſit iis qui morbo Gallico laborant. 151
XLV. De frequenti cucurbitularum medicarum applicatione. 153
XLVI. De Henrici Francorum Regis Luna in cornua ſurgente. 157

XLVII. De

XLVII. De fœmine Caſiæ Ægyptiæ, de venæ ſectione quæ ante febrium paroxyſmum, & quæ pomeridiano tempore obitur, & de mirifico fiſtuloſo ſiphone. 158
XLVIII. De faſcino. 170
XLIX. De matricis clauſura. 173
L. De faſcino variæ hiſtoriæ. 176
LI. Quibus indiciis lamiæ dignoſcantur. 182
LII. Æſtate merũ vinũ non dilutũ bibendũ eſſe. 184
LIII. An in calculo renum conueniat lumbis applicata lamina plumbea. 187
LIIII. Enematum infuſionem ſanguinis miſſionem interdum præcedere debere. 190
LV. Aloëticorum vſum ad ſanitatis cõſeruationem vtilem. 193
LVI. Leonarthum Fuchſium interdũ vehementem plus æquo eſſe in redarguendo Ioanne Meſuè; & Garciam Lopium præter rationem omnia tribuere tempori. 196
LVII. In dyſenteria, contra Leonardi Fuchſij opinionem, non ſolùm aſtringentia, ſed & laxantia requiri. 198
LVIII. In morbo regio nõ temerè, nec quauis ex cauſſa mittendum ſanguinem. 201
LIX. Nonnulla in ſacra ſcriptura quæ artem medicam cõcernunt, ad naturales rationes vtcunque reduci poſſe. 204
LX. De mandragoræ malo Rubenitico. 210
LXI. De rationis ac intellectus ſede. 212
LXII. Num certo ſtatutoque tantùm tempore conficienda ſit theriaca. 215
LXIII. Præter rationem & artis vſum facere eos, qui medicamenta actu tepida ſemper adminiſtranda cenſent. 218
LXIIII. Num vini potio ieiunis ſemper noxia ſit. 220
LXV. De febris definitione. 223
LXVI. Num vulnerariæ potiones extremis artubus vulneratis aut fractis, ad cõtinui ſolutionem vniendam omninò neceſſariæ ſint. 226
LXVII. Conſuetudinem non rectè alterã appellari naturam. 231

LXVIII. Dextrine an ſiniſtri lateris pleuritis periculoſior ſit. 233
LXIX. De nouo quodam & inaudito morbi genere, primùm in Germaniâ viſo; & de alio item mirando ſymptomate. 237

ELENCHVS AVCTORVM QVORVM TESTIMONIIS IN ISTIS EPISTOLIS vtitur auctor.

Abenzoar
Actuarius
Aëtius
Æſculapius
Albucus
Alexander Trallianus
Alexander Aphrodiſaus
Amatus Luſitanus
Antonius Muſa
Antonius Beniuenius
Andreas Matheolus
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arnaldus Villanouanus
Aſclepiades
Athenaus
Auerrhoes
Auicennas
Aureolus Paracelſus
Aulus Gellius
Azarauius
Baiſius
Biblia
Boëtius
Budaus
Carolus Stephanus
Cœlius Methodicus
Cœlius Rhodiginus
Columella
Cornelius Celſus
Diocles Caryſtius
Dioſcorides
Eraſmus Roterodamus
Euſebius Emiſſenus
Galenus
Garcias Lopius
Glareanus
Hadrianus Iunius
Herodotus
Hippocrates
Hieremias Driuerus
Hieronymus Cardanus
Hildedardis
Homerus
Horatius
Iamblichus
Ioannes Meſueus
Ioannes Wierus
Ioannes de Rupeſciſſa
Ioannes Manardus
Ioannes Langius
Ioannes Tagaultius
Ioannes Matthai de Gradi
Ioannes Porta

Ioſe-

272

Ioſephus
Iſmenias
Lactantius Firmianus
Leonardus Fuchſius
Lucianus.
Macrobius
Martialis
Marcus Cato
Matthias Cornax
Michael Sauonarola.
Nicolaus Maſſa.
Oribaſius.
Pauſanias
Paulus Ægineta
Paulus Iouius
Petrus Nannius
Petrus de Abano Cōciliator
Plato
Plinius
Philo Iudæus
Plutarchus
Pſellus.
Quintus Serenus Sammonicus.
Rhazes
Realdus Columbus
Rembertus Dodonæus
Rogerius.
Scribonius Largus
Seneca
Serapio
Simeon Zethi
Strabo.
Theophraſtus
Theophilus Protoſpatarius
Tertullianus.
Valerius Maximus.

ERRATA.

*Pag.*14.*lin.vlt.leg.* grauiſſimis incommodis *Pag.*22.*lin.*30.*lege* ſyncope. 25.*lin.*3*leg.*offerebat. 30.*lin.*5.*leg.*elicita 37.*lin.*1. *leg.* quantumuis heic non ſecus ac 33. *lin.* 23. *leg.* transformata 46.*lin.*10.*leg.* quum *lin.*24.*leg.* iudicans 71. *lin.* 22. *leg.* Idololatriæ aſſuetum 87. *lin.* 5. *expunge* quæ. *lin.* 15. *leg.* κυκλεπαιδεια *lin.*18.*pro* ſubminiſtrantibus *leg.* ſuggerentibus. 88.*lin.*21.*leg.* pharmacopœi 93.*lin.* 26 .*leg.* dandos. 106. *lin.* 15. *leg.* mihi non per omnia ſatis hac 109. *lin.* 3. *poſt* fœdarentur *adde*, ſed & grauiſſimis & curatu difficillimis vlceribus impeterentur. *lin.* 10. *leg.* manifeſtum 115.*lin.*13.*leg.*quamque 128.*lin.*17. *leg.* iniecta fæce. 133.*lin.*23.*leg.* cereuiſia 139.*lin* 11. *leg.* quid ſentiam ad te tanquam 144 *lin.*22.*leg. een caue* *lin.* 30. *leg.* è ren 189.*lin.*2.*leg.*de republica *ibid.lin.*20.*leg.*effluerer 190.*lin.*17.*leg.* viſum tamen fuit 198.*lin.*9. *leg.* affertur. *ibid. lin.* 13. *dele* niſi amens 199. *lin.* 3. *leg.* appellantur 214.*lin.*28.*leg.* ſcrutantem 230.*lin.* 16. *leg.* eaſdem. 237. *lin.* 8. *leg.* in initio, *lin.* 20. *leg.* Brunſuicenſium & Luneburgenſium.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAFOLLA VINCENZA
Restauro del Libro